DE

ORCHIDEIS EUROPÆIS

ANNOTATIONES,

PRÆSERTIM AD GENERA DILUCIDANDA SPECTANTES.

AUCTORE

LUDOVICO CLAUDIO RICHARD,

Botanicas in Scholâ medicâ Parisinâ professore.

PARISIIS,

EX TYPOGRAPHIA A. BELIN.

1817.

DE
ORCHIDEIS EUROPÆIS
ANNOTATIONES.

I. *PROLUSIO.*

ORCHIDEARUM familia, insolitis florum et præprimis genitalium structuris mirificissima, nuperis strenuorum botanicorum in remotas regiones peregrinationibus adeò increvit, ut jàm extrà unius phytographi, vel peritissimi, partes sit illam bono opere nunc complecti totam. Arduus labor multâque scatens difficultate, formas rerum alibì non obvias et rectè perspicere, et aptis reddere verbis; multò magis, dùm illæ in siccis speciminibus sunt enucleandæ. Qualibuscunque verò floralia Orchidearum organa describere tentes verbis, claram stabilemque eorum cognitionem à fidelibus iconibus potiùs expectes.

Plurimis quidem descriptionibus et figuris, quoàd habitum bonis etiamque optimis nitent opera Halleri Jacquinique; quorum verò in tabulis fidior et non manca unius saltem aut alterius singulorum generum speciei anthotomia desideratur.

Olaus Swartz primus, habenis Linnæanis solutus, Orchidearum divisionem genericam elaboravit novam novisque fundamentis institutam; quæ, malis licet freta iconibus et generibus recudendis dividendisque haud immunis, meritâ et perenni vacare non debet laude. Is enim, citrà susceptæ reformationis perfectionem, veluti ineluctabili rerum humanarum sorte, licet præpeditus, animos lectorum suorum ad rectiorem harum plantarum explorationem evexit.

Recentior Robertus Brown (in ***Prodr. Fl. N. Holl.*** et in ***Hort Kewensi*** alterâ vice edito) primùm suspenso pede vestigiis Swartzii insistens; deìn observationibus firmiùs innitens suis, sibi proprium ad obscura et abdita Orchidearum stravit tramitem. Summâ oculorum ingeniique acie pollens, intricatas genitalium fabricam et connexionem saltem partim enodavit primus : primus etiam, solitâ ipsi solertiâ duce, præcipuum Pollinis, tùm in distributione tùm in diagnosi generum, monstravit valorem.

Jam pridèm (1781-1789) Guyannam et Antillas peragrans, sedulam et ipse examinando huicce plantarum ordini dedi operam; nec paucarum analyses fidâ iconographiâ ad vivum illustravi. In Galliam verò politicis tumultuationibus vexatam et populari tempestate funditùs quassatam redux, quin observata publici juris facerem impeditus fui, reluctante pertinaciter fortunâ.

Paucorum annorum lapsu, permultis Orchidea gens ditata est civibus; ex Americâ, à Swartzio, Ruitzio et præprimìs à perillustri Humboldtio introductis; ex Novâ Hollandiâ, ab eximio R. Browneo; ex insulis Austro-afris, à sagaci Auberto *du Petit-Thouars.*

Agmen tam insigne novorum inter Gynandros hospitum, è longinquis regionibus advectorum, mirentur botanici; miror magìs in eorum generibus ferè novum caracterum modum, præsertim à Brownianâ limâ inductum, et Europæis cognatis tandiù negatum. Etenìm, quidquid Orchidei fert nostra tellus europæa vix aliter quàm habitualibus specificisque signis rectè notum venit.

Quidni genera nostratum *Labellatarum* et ipsa novum, exuto vetulo, induerent cultum! Quare elegantissimæ et nemorum et pratorum nostrorum incolæ, immeritum neglectum passæ, illecebris florum oculos incuriosè decerpentis allicerent irritis!

Quis Botanophilus mirationis expers, in Proteis vegetabilibus, modò imaginem capitis galeati nec rarò veluti infrà vibrantibus alis suspensi, modò Simiolæ pendulæ seu mellifabri animalculi affiniumve speciem et alios formarum lusus aspiciat! Ad quid in iis et solis Floræ

donis aulæum illud nuptiale; nùnc conflexo limbo fœdera conjugialia obvelans; nùnc, apertis nuptiis, ad exitum hiantis thalami in effigies extrà vulgares in variasve colorum picturas effluens! Nonne hæc sunt veluti incitamina Naturæ, quibus impellat botanophilos, ut ad intima usque florum vulgari facie carentium, quis lateat formæ connexûsque sexualium modus, studeant comperire!

Nemo quidem inter botanicos nescit Robertum Brown, veluti datâ in *Horto Kewensi* occasione, etiam Europæa Orchidearum genera reformasse. Dolendum verò caracteres , etsi bonæ utplurimùm notæ, nimiam propter verborum signorumque parcitatem et insupèr desideratam novorum interpretationem, caligine passim suffusos, necnisi in re versatissimis intelligendos.

Cùm autem notum non habeam aliud opus ullum, quo duce tutò utantur in examinandis Orchideis Europæis ; inii consilium jamdudùm umbraticolas in apricum proferendi observationes, quibus et accedente auxiliatrice iconum arte tandem studioso cuique clarescat illarum analysis. Impensis verò tabularum æri incidendarum inpræsens impar, invitus teneor in aliud tempus, utinàm breve, vela contrahere. Intereà, moræ diverticulum quærens, id non inutile duxi, hasce Annotationes veluti prodituri operis prodromum evulgare; quas ideò pro Tractatu de Orchideis non habeant velim botanici ; sed potiùs vertant in rationem stimulationis, ut indè curiosiùs faciliorique negotio oculos intendant ad structuras florum singulares et diutiùs neglectas.

Bonum verò etiam et necessum existimavi, non nullos illis lucidiùs compendiosiùsque exponendis, adhibere terminos; quorum ab interpretatione exorsum commentationis non possum non capessere, sine præferendæ facis jacturâ. Primum igitur locum obtineant voces substantivæ novæ : deìn de partibus Orchidearum summatìm mihi erit dicendum; dandaque passìm et debitâ sede vocum adjectivarum explicatio. Methodicam generum europæorum dispositionem sequetur eorumdem caracteris adumbratio : notationes nonnullæ de singulis

generibus et specierum designatio finem opellæ facient. Nullibi verò ex animo lectoris id excidat, quod imprimis de Europicolis hujus familiæ civibus sermo sit, nec de exoticis, nisi obiter et urgente claritatis ratione.

II. *ORGANOGRAPHIA ORCHIDEARUM.*

I. *VOCES SUBSTANTIVÆ NOVÆ.*

Bursicula. (*fig.* C, 3. G, 1.) Extrema s. apicilaris pars Rostelli, saccelli instar cavata; intra quam nidulatur Retinaculum sive simplex sive duplex.

Caudicula. (*fig.* D, 3. F, 3, 4. H, 2. K, 2.) Processus filamentiformis solidus Massarum pollinicarum.

Clinandrium. (L, 6. M, 2. P, 5. Æ, 10.) Fovea s. cavitas summi Gynostemii, suprà vel ponè stigma posita; intra quam recumbit Anthera, quæ dehiscens ibi deponit massas pollinicas.

Gynizus. (C, 2. I, 1, 2. Q, 2. S, 2. Y, 3. Z, 3.) Area stigmatis viscoso-madida.

Gynostemium (B. C. L. P. S. Y. Z.) Corpus ex utroque sexu conferruminatis factum.

Columna auctorum.

Locellus. Cavitas partialis singulorum loculorum Antheræ.

Massa pollinica. (D, 1, 2. M, 3, 4. O, 1, 2. Œ.) Pollen totum cujusque binorum Antheræ loculorum.

Massula—. Unaquæque binarum partium ex quibus longitudinaliter accumbentibus constant Massæ sectiles et granulosæ: unumquodque corpusculorum solidorum et numero semper pari definitorum, ex partitione singularum Massarum provenientium.

Perula. Sacculus, veluti Calcaris loco, à connatis et productis basibus duarum Calycis laciniaruom formatus; mdò liberè dependens, modò summo Ovario hinc adnatus. Distinctissima à vero Calcare, quod ex ipso soloque Labello originem ducit.

Proscolla. (M, 5. P, 4. S, 3. Y, 4.) Tuberculum glandulare s. glandula in summo s. medio Rostello; per supernam posticamve faciem, viscidum humorem secernentem, sibi adglutinans Massas pollinicas Antheram dehiscentem deserentes.

Retinaculum. (D, 4, 5. F, 5. H, 3. K, 3.) Corpusculum glandulare, viscidum; cui Caudicula Massarum Pollinis subpeltatim et pertinaciter, etiam nondùm dehiscente Antherâ, adfixa est; quodque Massas sive deciduas sive avulsas insolubile sequitur.

Rostellum. Supernus stigmatis processus ultra Gynizum, plerùmque ad apicem angustatus; modò deorsùm prominens et Gynizum partìm obtegens (C, 3. G, 1.); modò sursum ascendens (L, 5. Q, 3. S, 3. Y, 4.).

Septulum. Prominentia laminaris cavitatem loculorum Antheræ in cavitates partiales, solitò totquot insunt Massulæ, completè aut incompletè dividens.

2. *DE PARTIBUS ORCHIDEARUM.*

Radix.

1. BITUBERATA. Præter fibras nonnullas ex imo Caule s. Scapo oriundas, subest Tuber solido-carnosum, modò indivisum modò palmatum aut digitatum; cui adnascitur supernè alterum conforme et terminatum primordiali plantæ subsecuturæ gemmâ. Raró deest alterum tuber.

2. FIBROSA. Fibræ simplices, carnosæ; aut filiformes, aut insigniter crassæ et interdùm tuberiformes; ex imâ et subterraneâ Caulis parte, sive ex Rhizomate, vel fasciculatìm vel rariùs distanter exortæ. Gemma ex imo caule lateraliter eruptilis.

3. TUBEROSO-RAMOSA (sive ZINGIBERACEA). Fibris destituta; trunco, ramis ramulisque articulatis; ramo uno aut altero (raró pluribus) apice gemmiparo.

4. BULBOSA. Bulbus solidus; fibris basilaribus radicans; reliquiis fo-

liorum præcedentis anni tunicatus ; ex imo latere emittens Caulem nunc vegetum : nodus imi Caulis rudimento bulbi proximè futuri prægnans.

5. PARASITICA. Fibræ plus minus crassæ, duræ nec carnosæ, ex imo Caule seu ex Rhizomate repente oriundæ, variè tortuosæ aut flexuosæ, plantam plantis aliis vivis et lignosis adnectentes ; simplices aut ramosæ.

Plerùmque profert bulbos ; qui sunt rami caulesve abbreviati et insigniter crassi : aut interdùm ex imâ Caulis parte incrassatâ proveniunt.

Fibrosam inter et *bulbosam* media : ejus diagnosis vix verbis statuenda, licet à botanico perito facilè dignoscatur.

ANNOT. 1. Harum unaquæque Radicum distincta requirit genera : ne, invitâ naturâ, binas in eodem combines genere.

2. *Prima* Pollinis sectilis cum Caudiculâ retinaculiferâ semper prænuncia : *secunda* raró sectilis absque retinaculo, plerumque granulosi : *tertia* ambigua : *cæteræ* constanter Massas Massulasve solidas indicant.

3. SPIRANTHIS quidem Radix *primam* inter et *secundam* veluti ambigit; ad posteriorem verò reipsà pertinens.

Caulis.

Rarissimè ramosus.

Caulis s. Scapi simul et Ovarii pubes, plerisque generibus negata, disquisitionem generis obviæ speciei reddit faciliorem.

Folia.

Nunquàm verè petiolata : sæpè vaginantia ; vaginâ interdùm tubulatâ : raró à vaginâ seu Phyllophorio persistente articulatìm secedentia ; quæ in diagnosi generum nonnullorum non fallunt.

Flores.

Insalutata diutiùs relinqui non debet sterilitas Florum in nonnullis generibus parvifloris (*Lipari*, *Malaxi*, *Stelide*, etc.) constanter obvia. Specierum singularum sunt individua 1°. floribus

omnibus cujuslibet spicæ s. scapi sterilibus; 2°. floribus fertilibus paucissimis, inter steriles rariter et incertâ sede mixtis; 3°. rarissima, floribus omnibus aut plerisque fertilibus.

Sterilium ovarium modò nullum, modò vix adumbratum incassâ cavitate. Hi mox dignoscuntur Calyce et Pedicello citiùs post actam florationem marcescentibus: à turgescente fertilium, si adsunt, Ovario, promptius evadit discrimen. Nec desunt genera, in quibus, pariter ac in diclinibus, prolapsus florum et consequens partialis totalisve nuditas spicæ s. receptaculi statìm enunciant sterilitatem.

Floris s. Calycis nondùm explicati forma figuram laciniarum, saltem exteriorum, subrectè indicat : nimirùm, *subglobosus* lacinias subrotundas; *ovatus* ovales; *oblongus* aut *elongatus* oblongas, lineares, etc. prænunciat. Tùnc etiam temporis Labellum, marginibus apice laciniis variè flexis, amplectitur Gynostemium.

In flore clauso scrutanda est Antheræ structura; quippè quæ antè illius dehiscentiam sæpèque etiam longè antè debitum ejusdem augmentum reperitur jàm dehiscens.

Ovarium.

{ *Sessile*, in plerisque Europæis generibus.
{ *Pedicellatum*, in plerisque exoticis.

{ *Contortum*, frequentius in Europæis : interdum in solo pedicello existit torsio.
{ *Non contortum*, rarius in Europæis; in exoticis solitum.

Apice { *rectum*, vel *rectiusculum*; ità ut axis rationalis limbi Calycis ab axi Ovarii non manifestè declinet.
{ *obliquatum* : Calycis limbo velut ex latere summi Ovarii, cætero recti, enascente; et indè ab isto ad angulum subrectum abruptè declinante.
{ *reclinatum* : cujus summitas insigniter recurvata Calycem secum deflectit.

ANNOT. Illæ præcipuæ Ovarii qualitates ad distinguenda genera haud inutiles; cùm in eodem non aut vix occurrant oppositæ.

Calyx.

Calyx, cùm Ovarium sit inferum, monophyllus; irregularis; sexdivisus; laciniis tribus exterioribus, tribus alternis interioribus; nonnullis interdùm et variè connatis. Exteriorum una *impar;* binæ *compares : Interiorum* binæ consimiles; tertia dissimilis, impari opposito situ respondens, *Labellum* nuncupata.

Patens, patentissimus {tranversìm / obliquè / verticaliter} respectu ad Ovarium.

Connivens, veluti in tubum, in globum, etc. laciniis quinque longitudinaliter approximatis, s. incurvo-convergentibus; hiante summo limbo.

Fornicatus : laciniâ *impari* unà cum *interioribus* fornicem formâ variam efficientibus; *comparibus* à prioribus discedentibus, patulis reflexis-ve.

Galeatus : laciniis quinque in cucullum s. galeam, globosam, ovatam, etc. anticè (raró posticè) hiantem, contiguè approximatis.

Perulatus : donatus *Perulâ : adnato-perulatus, liberè perulatus;* horum unusquisque distincta vult genera.

LABELLUM.

Anticum : cujus dorsum ad latus floris, in situ nativo considerati, inferius s. exterius spectat.

Posticum : opposito prioris situ; Calyce tùnc *inverso,* sive uti dicunt *resupinato.*

Interruptum : binis incisuris sinubusve lateralibus divisum in duas partes dissimiles; quarum altera inferior *Hypochilium,* altera superior semper indivisa, priori veluti geniculatim juncta *Epichilium* vocari potest.

Calcaratum : Calcare donatum : Calcar verùm est processus cavus imissimi Labelli ipsius; ritè distinguendum à *Perulâ*, pariter-

que ab omni gibbo aliam sedem in qualicunque Calycis parte obtinente.

Inerme : Calcare destitutum.

Annot. 1. Posticum Labelli situm pro naturali typo habendum censet Robertus Brown; anticum frequentiorem contorsioni Ovarii tribuens. Labello quidem postico constanter (saltem in tenellis floribus) subjicitur Ovarium non contortum : indè forsàn ratio, et reipsà valida, illius asserti. In pusillis verò florum rudimentis (quibus tutior habenda fides ad solvendam dubitationem de situ) semper is est Labelli situs, qui (nullis adversantibus circumstantiis) servetur in perfecto flore. Prætereà, sunt genera non pauca, *Cypripedium*, *Ophrys*, *Serapias*, *Limodorum*, *Calypso*, etc. Labello antico simùl et Ovario non contorto prædita. Potiore ideò jure veluti primitivos se præbent uterque situs, nunquàm in eodem genere combinandi.

2. Singularis et apud Endorhizas inexpectata existentia Calyculi Ovarium coronantis, et parvulæ cupulæ instar basim calycis complectentis; quem et ipse vidi in genere americano, nuper à cel. Kunth constituto et ab ipso *Epistephium* nuncupato : hoc genus, ad tertiam nostram sectionem pertinens, mediam sedem *Vanillam* inter et *Cleistem* (*Limodorum grandiflorum*, Aublet) sibi requirere videtur.

Gynostemium.

Gynostemium (*fig.* B. C. L. P. S. Y. Z.) est corpus solidum, in flore subcentrale, ex apice Ovarii inferi enatum; formâ, structurâ, magnitudine respectu ad Calycis divisuras variis, in quovis tamen genere (admissâ quandòque modificatione levi) stabilibus. Constat ex utroque sexu ità conferruminatis, ut stylina materies faciem ipsius anticam Labello obversam constituat, filamentina posticam sive dorsum : priorem terminat stigma, Anthera posteriorem.

Clinandrium (*fig.* L, 6. P, 5. Æ, 10). Orchidearum plerarumque Gynostemium ad apicem cavatur in foveam, in quâ inclinata pronave recumbit Anthera; undè illa fovea *Clinandrium* dicta. Clinandrium autem, ut potè quod directione s. situ, formâ, cavatione et ambiente margine multam subeat variationem, optimas in diagnosi modò specierum modò et sæpiùs generum notas valet subministrare.

Stigma.

GYNIZUS (*fig.* C, 2. I, 1, 2. P, 2. S, 2. Z, 3). Præcipua stigmatis pars est area quædam in anticâ Gynostemii facie mox conspicua, contextu glandulari viscidum humorem exsudante et demùm veluti viscoso-pulposo obducta; cui nomen *Gynizus*, id est *fœmineum viscum*.

ROSTELLUM (*fig.* C, 3. L, 5. P, 3. S, 3. Y, 4). Summa stigmatis pars ultrà Gynizum protrahitur in processum antè hunc liberè reclinatum, rarissimè eidem adnascentem : sœpiusculè etiam illa pars producitur in laminam plus minùs obliquè ascendentem et clinandrium antrorsùm claudentem : rariùs ex medio superni marginis stigmatis abruptè extat apiculus, nùnc sursùm tendens, nunc deorsùm flexus. Qualitercunque verò sese habeat summi Stigmatis processus, sive in rostri speciem attenuatus reclinetur, sive in laminam sursum excurrat, sive demùm induat apiculi formam, nomine *Rostelli* ubique signetur, cùm ubiquè ex eâdem variè modificatâ proveniat parte.

Raró veluti in duo partialia fissum reperitur; et prominentiâ quâdam Antheram infernè à subjecto Gynizo sejungens.

BURSICULA (*fig.* C, 3. G, 1). In Orchide et proximè affinibus, apex Rostelli carnoso-incrassatus sursùm (raró anticè) excavatur instar sacculi s. *Bursiculæ*; intrà quam, humore viscidulo madidam, nidulatur Retinaculum Massarum pollinicarum. Si Retinacula duo (D, 4, 5.); duobus intùs Bursicula foveata est loculis, modò in unum corpus inferno apice indivisum junctis, modò plus minùs profundâ fissurâ sejunctis, et veluti binas bursiculas partiales contiguas dinotasve constituentibus. Existente unico Retinaculo (P, 5.) binis Massis communi, id intra Bursiculam unilocularem reconditur.

Quod excipit Bursicula Retinaculum dicitur *bursiculatum* : *nudum* contrà, deficiente illâ.

PROSCOLLA (*fig.* M, 5. P, 4. Y, 4). Ad medium apicemve

Rostelli, sive laminati sive apiculiformis, conspicitur glandula, prominula, formæ quidem variæ, sed constanter ejusdem in congeneribus. Ea autem glandula ideò dicta est *Proscolla*, quòd massas pollinicas, ex Antherâ vel partim dehiscente expeditas, sibi adglutinat mediante humore viscido ab ipsâmet secreto. Is autem humor non tantùm adglutinatricem agit functionem, sed etiam quas assequitur Massarum particulas in mollitiem veluti ceream vertit et emollitas coagmentat; adeò ut, factâ demùm induratione, nisi ruptæ, aut unâ cum avulsâ Proscollâ, avelli se non sinant Massæ. Quod Retinaculum Massis caudiculatis, id caudiculâ aut Retinaculo carentibus esse videtur Proscolla.

Anthera.

Anthera, omisso solo *Cypripedio* duabus remotè lateralibus insigni, semper unica. Ejus insertio et imprimis structura constanter eædem habentur in congeneribus; et inter præcipuas affinitatis generum notas locum sibi vindicant.

Antica Antheræ facies ea est quæ Labello obvertitur et per quam Clinandrio incumbit: postica s. dorsum priori opponitur. Hæc autem facierum distinctio ad Massas pollinicas necessariò refertur: undè manifestus error eorum qui istas in nonnullis generibus *posticè* bilobas memorarunt.

ANTHERÆ INSERTIO. Anthera, quoàd modum insertionis, tripartitò congregat genera.

1°. *Continua.* Dorsalis materies (*fig.* E, 1.) Gynostemii indesinenter continuatur in materiem loculos (E, 3, 4.) discretos connectentem; ità ut ad posteriora principium Antheræ à cætero Gynostemio non aut vix detur discernere: signum hoc *Antheræ continuæ* plura, Orchide præside, convocat genera.

2°. *Stipitata.* Filamentulum (L, 2. U, 4.), à summo Gynostemii dorso abruptâ contractione distinctissimum, suffulcit Antheram indè *stipitatam;* basibus loculorum sæpè infrà punctum ipsius insertionis

protuberantibus. Per antheram stipitatam, ad Rostellum semper laminatum aut apiculare semper acclinatam vel accumbentem, multa quidem inter se conveniunt genera; quæ tamen, jubente Polline diverso, in duas phalanges valdè impari segregantur numero: *Goodyera* alteram, alteram *Epipactis* ducit.

Antheriferum filamentulum (s. stipitulus) ex ipso margine postico Clinandrii solitò oritur; raro tamen intrà eumdem marginem est insertum (R. 4).

3°. *Sessilis* (Æ, 9). Sub vexillo Antheræ sessilis, quæ postico margini Clinandrii, intrà quod cernua pronave jacet, per angustam baseos partem immediatè affigitur, numerosa commilitant genera: humicolæ pauca, pleraque epidendræa. Quatuor priorum Europæa, posteriora omnia exotica.

Antheræ sessilis insertio intrà Clinandrii ambitum non rara.

Nota. Anthera, cujus fulcrum s. punctum insertionis in ipsomet Clinandrii margine situm est, dici potest *marginalis* : *intramarginalis* verò, iisdem intrà marginem supradictum sedem habentibus.

ANTHERÆ SITUS ratione stigmatis. Anthera *postica;* quæ, erectiuscula s. dorso stigmatis acclinata, ponè hoc tota vel partim subsidit : *superposita;* prona in loculos intrà Clinandrium Gynizo superpositum jacens.

ANTHERÆ STRUCTURA. Orchidearum omnium Anthera bilocularis. Loculi intùs raro simplicissimi; plerùmque in binos pluresve, solitò tot quot Massulæ Pollinis, *locellos* divisi; *septulis* completis aut incompletis : undè illi completè vel incompletè *bi-pluri-locellati* dicuntur.

Mediante connectivo plusminùs crasso latove conjugantur loculi, nunquàm immediatam ineuntes connexionem. Floris explicationem plusminùs remotè antevenit illorum dehiscentia ; quæ, solitò longitudinalis rarissimè subtransversa, fit per suturam superficialem, vix unquàm apprimè medianam, obliquam aut curvilineam, et antico Septuli margini respondentem.

Septulorum materies plerùmque tenerè contexta et elastica, simul ut facto loculorum hiatu, insigniter sæpèque subitò retrahitur, nec rarò ferè obliteranda : nonnisi loculorum Polline solido gravidorum persistunt Septula. Interna igitur Antheræ fabrica in floribus adhuc clausis, etiam et tenellis, rectiùs inquirenda.

Pollen.

Massarum Massularumve Pollinis forma, numerus, et imprimis textura (1) structuraque s. connexionis modus maximi sunt momenti in analytico Orchidearum examine. Generum diagnosi perindè ac convenientiæ tutissimum substernunt fundamentum. Haud levitèr igitur Botanicis interest ut illarum rectam certissimamque nanciscantur cognitionem : nec minoris sit curæ, quibus vocabulis diversi earumdem modi exprimantur, statuere.

MASSA, MASSULÆ. Quidquid Pollinis includit unus è duobus Antheræ loculis, mole sit continuum necne, *Massam pollinicam* constituit : ideòque totum totius Antheræ Pollen constat ex duabus Massis seclusis. Tot verò sunt *Massulæ* quot numerantur Massarum divisuræ, in propriis locellis nuper aut inpræsens nidulantes et indè numero pauciusculo definitæ. Rarò tamen Massarum singularum Massulæ immediatè, scilicet absque primitivo septulo, invicem accumbunt.

Pollen, ratione texturæ Massarum Massularumve, præstabilem subministrat tripartitionem : *Massæ* aut *Massulæ* 1°. *sectiles*, 2°. *granulosæ*, 3°. *solidæ*.

1°. SECTILES. *Massæ sectiles* (D, 1. F, 1. H, 1. K, 1. M, 3, 4.) longitudinaliter divisæ sunt in binas Massulas (D, 2. F, 2. N, 1, 2.); primùm, interjecto Septulo è fundo loculorum Antheræ ad suturam dehiscibilem protenso, sejunctas; dein, obliterato illo, adinvicem

---

(1) Textura Massarum Pollinis magni valoris esse videtur in methodo naturali. *Brow. Prodr. N. Holl.* 311. *Obs.* 4.

accumbentes. Massulæ ab extrorsâ s. convexâ facie multipliciter profundèque diffinduntur in particulas numero indefinitas, pressim contiguas, inæquales, variè angulatas: hæ omnes imis basibus, ad rationalem Massæ axim s. introrsam Massularum faciem tendentibus, leviter et unico strato connexæ sunt; materie ibi laxiùs contextâ teneriorèque, et ideò in fila elastica faciliùs protractili, rariùs etiam evanidâ.

Massæ sectiles, respectu ad terminationem alterius extremitatis, bigreges discedunt in *caudiculatas* et *muticas*.

Caudiculatæ deorsùm desinunt in *Caudiculam* filamentiformem, binis Massulis communem, angusto singulorum Antheræ loculorum protractu invaginatam. Inferior caudiculæ finis, perforatâ vaginæ suæ basi, adfigitur corpusculo glandulari, viscido, foraminulum extùs veluti obturanti. Hoc autem corpusculum, utpotè quod Massas, ubicunque sint, adglutinando detineat, haùd incongruè *Retinaculum* nuncupari potest. Rariùs utriusque Massæ Caudiculæ jugalem in eodem et unico Retinaculo sortiuntur insertionem.

Muticæ contrà dicuntur, quibus supradicta Caudicula et præsertim Retinaculum desiderantur: prioribus multò infrequentiores. Harum Massulæ binæ solitò immediatè adinvicem sibi appressæ sunt, nullo interposito septulo, etiam in Antherâ clausâ; cujus ideò loculi intùs sunt simplicissimi.

Interdùm etiam illæ Massæ, in tenuissimum versus apicem gracilescentes, ibi, gradatìm decrescentibus et evanescentibus particulis, fiunt solidæ; tuncque ista apicilaris pars veluti caudiculæ speciem induit; sed defectu Retinaculi a verè caudiculatis distinguntur. Raro illa apicilaris soliditas infrà plusminùs secùs anticum Massarum marginem progreditur, ferè instar carinulæ Massulas connectentis.

Illæ, pariter ac sequentes, Proscollæ adglutinandæ s. *adglutinatiles*.

2°. GRANULOSÆ (O. T. V. X.). Perindè ac sectiles, ex binis Massulis subæqualibus, aut sæpius alterâ interiore minore, compo-

nuntur; sed constanter ecaudiculatæ. Intrà Antheræ nondùm dehiscentis loculos, Massulæ Septulo completo, demùm retractili, abinvicem dirimuntur. Massæ, statìm ut hiantibus loculis contactum Proscollæ patiuntur, ibì isti adglutinantur ubì fit contactus; plerùmque per apicem vel summam partem, rariùs infrà illum seu medium versùs, rarissimè etiam demissiùs *adglutinatiles*. Contextæ sunt ex innumeris granulis, inordinatè acervatis; modò immediatè, modò passim aut ubiquè mediante materie veluti fibrillosâ, undique pressimque cohærentibus; quorum ea est minuties, ùt, sive tritu, sive spontaneo collapsu soluta, pulverem sordidè albidum et subfarinaceum mentiantur. Illa autem granula, microscopici vitri ope lustrata, imprimis post inditum siccis madorem, exhibent se teretia nec angulata, plerùmque globulosa, interdùm ovoidea; pellucida; nùnc avenia et unicellulata; sæpiùs veluti subcruciatim venulosa et quadricellulata, immixtis solitò nonnullis pauciùs cellulatis : primo obtutu quot cellulis tot composita crederes globulis.

Pauciuscula occurrunt genera, Rostello et indè Proscollâ destituta; quorum Pollen granulosum intra loculos, etiam nondùm dehiscentes, madescit humore quodam granula ipsius emollita conglutinante. Illius Massulæ, licet primùm septulo completo distinctæ, simùl ut loculi aperiuntur coeunt in massam sive acervum amorphum, veluti pulticeum, parieti loculi sui adhærentem et nonnisi detritu s. vetustate elapsurum. A recto ideò non absonat Pollen hoc *pulticeo-granulosum* à *pulvereo-granuloso* distinguere.

Nota. Massas pulvereo-granulosas ex quatuor Massulis compositas meminit Robertus Brown in *Prod. Fl. N. Holl.* pag. 321, 323. Absit à me hoc peritissimi botanici assertum negare : pro certo tamen tradere non audeo, quandiù ipse tales non viderim.

3°. MASSÆ vel MASSULÆ SOLIDÆ (Œ). Pollinis solidi Massæ, intrà singulos Antheræ loculos, raró solidescunt indivisâ simplicive mole : in binas plerùmque discedunt Massulas : nonnunquàm etiam quadripartiuntur.

Massæ simplices, sphæroideam seu ovoideam induunt formam; modò undiquè læves, modò foveolâ rimâve anticè exaratæ : unicâ solitò conjugantur caudiculâ, plerùmque lamellari, sublineari aut angustiùs elongatâ, rarissimè in speciem peculiaris fulcri abbreviatâ. Intrà summitatem Antheræ angustatam primùm tota invaginatur Caudicula; dein, ruptâ vaginulâ, expeditum apicem suum porrigit ad Proscollam; cui mox et ità tenaciter adglutinatur, ut nisi conjunctìm cùm istâ avelli aut decidere jàm nequeat.

Pauciorum generum Massæ simplices, deficientibus Rostello et consequenter Proscollâ, reperiuntur muticæ sive non verè caudiculatæ; ipsarum licet interdùm superior notabiliter gracilescat finis.

Massæ bimassulatæ. Massulæ binæ (Œ) intrà singula Antheræ etiam nondum dehiscentis loculamenta, sibi mutuò et immediatè accumbunt : hæ neutrâ extremitate in processum tenuem gracilescunt, potiùs verò ex utrâque parte obtusè desinunt.

Frequentiùs autem, præsertim in Epidendræis, Massulæ, ob interjectum Septuli ferè semper persistentis, sejunctim in propriis locellis nidulantur. Plerumque, sublaminato-compressæ et deorsùm angustatæ, desinunt infernè in setulam abrupto flexu juxta anticum marginem ipsarum ascendentem, suturæ quâ solutâ dehiscit loculus respondentem, superficie inæquabilem. Setulæ ambarum Massularum sæpè sæpius connascuntur in unicam, iis indè connexis communem.

Massis quadrimassulatis paucissima, sive terrestria sive epidendræa, insigniuntur genera. Quatuor cujusque loculi Massulæ; vel à se invicem prorsùs distinctæ sunt et spontè separabiles; vel diversè connectuntur, modò per apicilares ipsarum processus, modò mediante corpusculo consubstantiali cui distinctè sunt affixæ. Primitivum autem connexionis modum, per temporis post actam Antheræ dehiscentiam lapsum, plusminùs adulterari aut modificari posse est animadvertendum.

Staminodia.

Hoc nomine, ui meliore velint , nuncupentur qualescunque

Gynostemii summi appendices; quas et ipse ad indicia Staminum abortivorum retuli ; et quæ primâ vice rectâque denominatione, per *Prodromum* insignem et annotationes eximias *General Remarks* Roberti Brownei, botanicis innotuerunt.

Sedulo oculorum obtutu genitalia *Cypripedii* perpendenti liquet : 1°. materiem Styli (B, 1) terminati Stigmate (B, 2) medium faciei anticæ Gynostemii occupare : 2°. cæteram Gynostemii materiam, tùm lateribus tùm dorso Styli adnatam, constare ex tribus filamentis connatis sive ex *Synemate* (A, 1) trifido; laciniis lateralibus (A, 2, 3) antheriferis (B, 2, 3), intermediâ (A, 4) castratâ. His priùs observatis, planior sternitur via ad intelligendum modum connexionis genitalium ORCHIDEARUM; nec minus indè circà solitam Gynostemii compaginem, in plerisque generibus non itâ perspicuam, spargitur lumen. Posteriore verò observatione elucidantur et Stamina terna et monadelphia; undè affinitas quædam cùm IRIDEIS MONADELPHIS. Intermedia Synematis lacinia (A, 4) est *Staminodium*, i. e. Stamen imperfectum.

Jamnùnc ad alia genera attentionem referamus; in quibus, minùs quidem facili negotio, appendices staminales s. Staminodia nobis sunt detegenda.

Ad ima latera Antheræ *Orchidis* (N°. 2) et proximè affinium (N°. 4, 5) prominent duo corpuscula (C, 9, 10. E, 5, 6), veluti rugelloso-scabriuscula; quorum situs, ratione filamenti (E, 1) antheriferi, ipsa ad divisuras laterales (A, 2, 3) Synematis (A, 1) *Cypripedii* referenda esse mox in animum inducit, et vel levem de naturâ staminali eorumdem rescindit dubitationem : illa ergò, perindè ac divisura intermedia (A, 4), sunt stamina imperfecta et ideò *Staminodiis* annumeranda.

Nec jàm deficit ratio, cur eamdem denominationem processibus lateralibus summi Gynostemii *Epipactidis* (S, 7, 8. U, 9.), *Limodori* (Y, 8), *Liparis* (Æ, 5, 6) concedamus.

3

Interdùm Staminodia, alarum instar, margines Gynostemii partim totosve percurrunt.

Caveas ne cum Staminodiis confundantur expansiones ipsius stylinæ materiei ad latera Gynizi nonnullorum generum antrorsùm extantes.

Fructus.

PERICARPIUM. Circà Pericarpii fabricam dehiscentiamque, omnibus sat notas, non immorabor. Præter qualitates nonnullas suprà ad Ovarium memoratas, quibus tamen addatur forma, raró nec multùm confert ad diagnosim generum. Trophospermiorum structura, pericarpio nondùm arefacto perspicienda, differentiis non omninò vacat. Sæpe sæpiùs in Epidendræis, raró in terrestribus, ad apicem attenuatur in speciem rostri, nonnunquàm insigniter protracti : hinc alterum affinitatis cum IRIDEIS signum.

SEMINA. Epispermium, s. tegumen proprium Seminis, ad exteriora contexitur ex opere celluloso, tenuissimè membranaceo, pellucido, passim intùs ruptis membranulis lacunoso aut veluti fibrilloso; cujus superficies ab extimis cellulis adæquatur. Intima verò illius pars densatur in membranam, modò tenuiusculam, modò crassiusculè coriaceam testaceamvè, Nucleo ipsi adherente fœtam. Cum autem pars utraque, cellularis nempè et nucleifera, in unicum coeant tegumen; hallucinati sunt quibus prior visa est Arillus. Solius *Vanillæ* semina cellularem partem in pulpam demùm deliquescentem mutant. Seposito hocce genere; Semina ORCHIDEARUM, accitâ in auxilium vitri lenticularis vi, bipartitò distinguntur in *reticularia* et *fusiformia*.

1°. *Reticularia*, subovali-lineari-oblonga, plusminùs compressa, statìm dignoscuntur superficie eleganter reticulatâ et nucleari parte globulosâ ovatâve.

2°. *Fusiformia*, in teretem gracilis fusi formam effinguntur, nucleari parte conformi.

Priora terrestrem, posteriora epiphytam indicant habitationem.

EMBRYO. Multoties iterato in diversis generibus examine, con-

victus fui Nucleum, coloris plerùmque exalbidi raró viriduli, constare ex materie carnosâ, extùs prorsùs indivisâ, intùs totâ continuè solidâ et venulis trajectâ. Undè conjicere licet illum esse Embryonem epispermicum et orthotropum, absque ullis Cotyledonis distinctione Gemmulæque indicio. Rectiùs verò per germinationem, mihi hucusque non visam nec a Cel. Salisburio satis curatè traditam, certiùs innotescet Embryonis structura.

III. *GENERUM ORCHIDEARUM EUROPÆARUM*

DISPOSITIO METHODICA.

---

1. §. POLLEN SECTILE : *CAUDICULA RETINACULIFERA.*

— A. RETINACULIS BURSICULATIS.

— a. *Retinaculo unico, binis Massulis communi.*

1. SERAPIAS. *Cal.* conglutinato-galeatus : *Labellum* interruptum ; ungue bilamellifero ; epichilio reflexo. *Gynostemium* lineare, longè cuspidatum.

2. LOROGLOSSUM. *Cal.* galeatus : *Lab.* prælongum; lineari-tripartitum, intermediâ bifidâ ; basi brevissimè saccato-calcaratum, s. gibbulosum.

3. ANACAMPTIS *Cal.* et *Lab.* Orchidis ; posterioris ungue bilamellifero. *Retinaculum* lateribus subcylindricè conflexum.

— b. *Retinaculis duobus.*

4. ORCHIS. *Cal.* fornicatus, s. galeatus : *Lab.* calcaratum. *Bursicula* indivisa.

5. OPHRYS. *Cal.* patens : *Lab.* inerme, convexum. *Rostellum.* in binas bursiculas fissum.

6. NIGRITELLA. *Cal.* patens : *Lab.* posticum, scrotiformi-calcaratum, indivisum. *Burs.* loculis dimidiatis.

— B. RETINACULIS NUDIS.

7. GYMNADENIA. *Cal.* Orchidis : *Lab.* calcaratum, trifidum. *Rost.* fissum.

8. PLATANTHERA. *Cal.* Orchidis : *Lab.* calcaratum, indivisum. *Antheræ* loculi infernè Gynizo latè interposito dimoti. *Rost.* nullum.

9. HERMINIUM. *Cal.* subcampanularis; lacin. interioribus manifestè longioribus, disssimilibus : *Lab.* basi saccatum (aut calcaratum), plurifidum.

10. CHAMORCHIS. *Cal.* galeatus : *Lab.* inerme, indivisum. *Rost.* fissum.

2. §. POLLEN SECTILE : *RETINACULUM NULLUM.*

11. GOODYERA. *Cal.* infernè connivens : *Lab.* inclusum, inerme, indivisum, infernè insigniter concavo-gibbum. *Massæ* muticæ.

12. EPIPOGUM. *Cal.* deorsùm patens : *Lab.* posticum, inflato-calcaratum ; interruptum, hypochilio latè biaurito, epichilio retroflexo. *Massæ* in subulam solidam desinentes.

3. §. POLLEN GRANULOSUM.

— A. ANTHERA UNICA.

13. LIMODORUM. *Cal.* laxiusculè erecto-connivens : *Lab.* interruptum, marginibus hypochilii imo Gynostemio adnatum, longè calcaratum. *Gynost.* longissimum.

14. SPIRANTHES. Spica spiralis. *Ovarium* apice obliquatum. *Cal.* in oblongum connivens : *Lab.* inerme, obovale : *Gynizus* subsemiellipticus. *Rostelli* laminati *Proscolla* lineari-oblonga.

15. NEOTTIA. *Cal.* in globum laxè connivens : *Lab.* patens, bifidum. *Gynizus* transversus *Proscolla* ex apice Rostelli laminati retroflexa. *Anth.* intrà Clinandrium stipitata.

16. CEPHALANTHERA. *Ovar.* sessile. *Cal.* erecto connivens : *Lab.* genitalia amplexans, interruptum. *Rostellum* nullum. *Anth.* subrotunda, imâ tantùm parte dorso Gynizi transverso-elliptici incumbens, cætero apertè supereminens. *Poll.* granulis simplicibus.

17. EPIPACTIS. *Ovar.* pedicellatum. *Cal.* patulus : *Lab.* patens, interruptum. *Gynizus* valdè prominens, subquadratus : *Rost.* apiculare. *Anth.* subcordata, postica. *Poll.* granulis veluti quadriglobulosis.

— B. ANTHERÆ DUÆ.

18. CYPRIPEDIUM.

4. §. POLLEN SOLIDUM.

— A. MASSÆ BIMASSULATÆ.

— a. *Anthera loculis simplicibus.*

19. CALYPSO. *Cal.* sursùm patens : *Lab.* contrà declive, inerme, calceoliforme, ad apicem calceoli sub margine appendiculatum. *Gynost.* marginibus totis latè alatum.

20. LIPARIS. *Cal.* laxè patulus : *Lab.* posticum, recurvo-patens, subovale, basi simplici. *Gynost.* oblongum, supernè alato-marginatum. *Anth.* marginalis, superposita. *Massæ* globosæ.

21. MALAXIS. *Cal.* verticaliter patentissimus ; lacin. interioribus demùm revolutis : *Lab.* posticum, subcordatum, sinu baseos basim *Gynostemii* brevissimi et apteri amplexans. *Anth.* postica, intramarginalis. *Poll.* massæ oblongæ.

— b. *Anthera loculis bilocellatis.*

22. CORALLORHIZA. *Cal.* in oblongum fornicatus : *Perula* brevissima, adnata : *Lab.* obovale, marginibus infernè crenulâ interruptis. *Gynost.* longum, apterum. *Anth.* subtransversim dehiscens. *Massulæ* subrotundæ ; altera anterior, altera posterior.

ANNOTATIONES.

Qualia sint hìc institutæ dispositionis commoda evolvere mens mihi est; non ideò tantùm ut botanophilis placita habeatur; insuper verò ne, quæ aliam molientibus usui esse posset, desit materia.

Erunt forsàn quibus non arridebit primaria divisio a minutiore Polline desumpta : hos monere meum est massas illius, vel nimiâ pressione vel qualicunque causâ vitiatas, a particularum etiam unius formâ, non adeò difficilè esse dignoscendas. Propter Pollinis texturam in 1â. et 2â. § ferè consimilem, necnon tenuitatem Retinaculorum, in dubitationem quidem induci inassuetos sinitur: perspectâ verò Antherâ, jamjàm elucet distinctio.

Plura etiam alia signa in suppetias caracteri sectionum singularum possunt convenire; quæ juxtà methodicam partium seriem exponere satius esse videtur.

1a. SECTIO.

Radix bituberata huic Sectioni, aliam non admittenti, propria.

Pubes neque in herbâ neque in spicâ : omissâ *Orchide hispidulâ*, L.

Ovarium. Semper sessile.

Calyx galeatus in hac solâ §.

Labellum, sub anthesi, nunquam amplexans Gynostemium: interruptum in solâ *Serapiade :* ungue lamellifero, in *Serapiade* et *Anacampti.*

Perula nulla.

Gynostemii structura huic § propria; adeò ut, in uno aut etiam altero genere pervisa rectèque intellecta, ab omnibus alienis mox discernatur. A subsequentibus illius partibus hæc abundè elucidatur.

Gynizus in imo Gynostemio sedem tenens, adusque Labelli originem decurrit, nec nunquàm citrà hanc progrediens. Intrà concavam adnascitur regionem; cujus margines marginibus Labelli confluunt : indè nulla pars materiæ stylinæ infrà illunc distinguenda.

Rostellum semper deorsùm prominens: sursùm processu quodam imos Antheræ loculos dirimens : sæpè fissum. In *Platantherâ* nullum!

Bursicula
Retinacula } in hac solâ §.

Ne Proscolla pro Retinaculo habeatur cautè caveto.

Clinandrium nullum.

Anthera continua : erecta, aut tantummodò ad curvaturam totius Gynostemii sese flectens; cætero Gynostemio longior.

Loculi singuli infernè, vix in *Herminio* et *Chamorchide*, in cæteris mani-

festè angustantur in speciem vaginulæ, imâ saltem parte liberæ, caudiculam Massæ pollinicæ involventis. Illorum septulum incompletum et rectractile.

Præcipuum sanè Sectionis signum Anthera; quam, nisi inversam consideres, frustrà cum cæteris ejusdem familiæ conferre tentabis. Quemnam enim, rebus ritè perpensis, detineret vel levis hæsitatio, quin inferiora loculorum Antheræ ad superiora aliarum Anthærarum referat?

Pollen. Massæ, contractâ mole, dehiscentibus loculis minores.

Caudicula Pollinis Antherarum monstrosè adventitiarum, nullo subjecto stigmate, caret Retinaculo.

Staminodia veluti rugelloso-scabriuscula, huic § propria: nulla in *Ophryde.*

2ª. SECTIO.

Sectio primam inter et tertiam verè media: Polline tantùm priori confinis, antherâ stipitatâ ab eâdem distat facillimèquè secernitur: multiplici partium consonantium vinculo cognatior posteriori, in solo Polline commodissimum distinctionis suppeditat signum.

Perula nulla; saltem in generibus hucusque notis.

Antheræ loculi, massis etsi bimassulatis fœti, intus absque septulo simplicissimi; indè a loculis 1æ. et 3æ. § bilocellatis discrepantes.

Nota. *Gastrodiam*, genus ex ipso auctore *Epipogo* affine, parasiticam radicum testatur cel. R. Brown, Prod. Flor. N. Holl. 33. Radicis epiphytæ simùl et Pollinis sectilis conjunctorum unicum, saltem mihi notum, exemplum!

3ª. SECTIO.

Radix terrestris: rarè s. fasciculatim fibrosa.

Pubes hìc frequentior quàm in cæteris §.

Calyx vix subfornicatus; galeatus nunquàm.

Perula non ità rara ac in cæt. §: insolitè fissa in genere Americano PROSCHISIA, cui referatur *Neottia picta*, *Hort. Kew.*

Labellum plerùmque indivisum, aut solummodò interruptum: rarò calcaratum.

Rostellum nullum in CEPHALANTHERA: deest etiam in CYPRIPEDIO, perindè ac in generibus Polline pulticeo pariter donatis.

Passìm reperiundum est supernè plusminùs bifidum, marcidâ jam aut elapsâ Antherâ; quam fissuram non habeas veluti primitivam, a Proscollâ verò ruptim deciduâ retiùs deducito.

Proscolla in generum diagnosi admodùm conducibilis.

Anthera, coarctato fulcro, stipitata: postica; omissis tamen generibus Polline pulticeo.

Pollen albidum, vel exalbido-pallens; nec luteum.

Massæ, dehiscente Antherâ, in molem paulò majorem tumescentes, et illâ marcescendo contractâ longiores.

4ª. SECTIO.

Radix solitò parasitica: terrestris in paucis generibus, quibus forsàn nullum accedit Europæ alienum.

Foliis articulatìm a persistente *Phyllophorio* secedentibus plura, solius hujusce sectionis, distinguntur genera.

Pubes, nisi passim in Labello, nulla.

Ovarium pedicellatum: rarissimè contortum: pedicello articulatìm junctum in OCTOMERIA!

Perula paucissimis generibus, sive terrestribus sive epidendræis, concessa.

Labellum inerme: calcaratum perpauculis generibus parasiticis Africanis Asiaticisque, nec verò Americanis ullis, (hucusquè detectis).

Anthera ferè semper superposita. Loculorum Septula persistentia.

IV. *CARACTERUM GENERICORUM ADUMBRATIO.*

Quoniam caracter genericus in optimam et perennem diagnosim nequeat accipi, quin collatis priùs omnibus ejusdem familiæ generibus fuerit excusus; hìc tantùm de Europæis agens, horum caracteres potiùs adumbrare quàm strictè definire ausus sum.

Duplex me, labori in posterùm instaurando operam navantem, movit commodum, ex prolatis infrà descriptionibus a lectore, ni fallor, exhauriendum; videlicet, 1°. vim aptumque verborum novorum usum in exemplis propositis inquirere et experiri; 2°. salebrosum nuper diversarum floris orchidei partium examen, dato duce, tutiùs aggredi posse.

Tricis verò fastidiosæ prolixitatis studiosos præpedire veritus; neque absit quidquam in exarandâ rerum designatione, nec supersit, quantùm in me erit situm, faciam.

Ovarium *contortum*, utpotè quòd frequentissimè occurit, ubiquè enunciare fastidio esset : *non-contortum* ideò solum mihi erit memorandum. Parilem ob causam, de solito Pedicelli defectu silebo.

GENERA

1æ. SECTIONIS.

1. SERAPIAS.

Ovarium non contortum.

Calyx conglutinato-galeatus, oblongus, sursùm sensìm angustatus : laciniæ interiores ex dilatatâ basi setaceo-subulatæ.

Labellum inerme; interruptum : *Hypochilium* a Galeâ partim amplexatum, conflexis lateribus connivens, ungue bilamellifero : *Epichilium* abruptè reflexum, explanatum.

Gynostemium lineari-oblongum; a Connectivo suprà loculos Antheræ producto longè cuspidatum.

Retinaculum unicum, bursiculatum.

Gynizus insolitè oblongus.

2. LOROGLOSSUM, fig. N°. 3.

Cal. galeatus : laciniæ interiores multoties angustiores.

Lab. brevissimè saccato-calcaratum s. gibbosum; patens vel pendulum; prælongum, lineari-tripartitum, intermediâ bifidâ.

Gynost. Orchidis.

Retin. unicum, bursiculatum.

3. ANACAMPTIS.

Cal. Orchidis.

Lab. Orchidis ; ungue longitudinaliter bilamellifero.

Gynost. Orchidis.

Retin. unicum, bursiculatum, antrorsùm lateribus subcylindricè conflexum.

4. ORCHIS, fig. n°. 2.

Cal. fornicatus galeatusve.

Lab. calcaratum ; patens.

Gynost. brevissimum; nullâ parte stylinâ infrà Gynizum visibili.

Gyniz. totus ponè orificium Calcaris.

Rostellum deorsùm, nec nunquàm etiam antrorsùm, prominens.

Bursicula integra, intùs bilocularis.

Anthera cætero Gynostemio longior; erecta; subrotundo-ovoidea vel obovata, apice mutica.

Retinacula brevi-elliptica.

5. Ophrys.

Ovar. Non contortum.

Cal. patens: laciniæ interiores sæpiùs manifestè minores.

Lab. inerme; deorsùm patens; convexum; plerùmque holosericeum et variè pictum; subcartilagineo-rigidum.

Rost. brevissimum; fissum in binas *Bursiculas* subrotundas; indè

Retin. distinctè bursiculata; brevi-elliptica.

6. Nigritella, fig. N°. 4.

Ovar. non contortum; apice rectum.

Cal. laxè patens; laciniis subconformibus.

Lab. posticum, scrotiformi-calcaratum; ungue manifestè concavo; laminâ indivisâ, planiusculâ.

Gynost. Orchidis.

Retin. loculos *Bursiculæ* integræ antrorsùm singulatìm occludentia et ideò seminuda.

7. Gymnadenia, fig. N°. 5.

Ovar. apice reclinatum.

Cal. fornicatus vel galeatus.

Lab. calcaratum; trifidum.

Gynost. Orchidis.

Rost. fissum.

Retin. distincta, nuda.

Gyniz. plerùmque orificio Calcaris lunatìm circumactus et ad utrumque finem antrorsùm dilatatus.

8. Platanthera.

Cal. fornicatus.

Lab. calcaratum; lineari-ligulatum, indivisum.

Anth. loculi abinvicèm valdè distantes; infernè longiùs angustati et a Gynizo latè interposito magìs dimoti.

Poll. Massæ promissiùs caudiculatæ; particulis numerosissimis; minutissimis, lineari-prismaticis.

Retin. nuda; orbiculata, peltato-substipitata; non solito more caudiculas apprimè terminantia, sed veluti introrsùm lateralia!

Gyniz. veluti imo Connectivo effusè adnatus; abbreviato-rotundatus; infrà orificium Calcaris non progrediens.

Rostellum nullum!

9. HERMINIUM.

Ovar. apice reclinatum.

Cal. subcampanularis; laciniis interioribus longioribus et dissimilibus.

Lab. brevissimè saccato-calcaratum; hastato-trifidum.

Gynost. Orchidis; abbreviatum.

Anth. loculi infernè in vaginulam non attenuati.

Retin. Rostello brevi obtusoque sejuncta, nuda, majuscula, subtùs insigniter cochleato-concava.

Poll. Massæ brevissimè et abruptè caudiculatæ; particulis paucis, subcubicis.

10. CHAMORCHIS.

Ovar. apice reclinatum.

Cal. galeatus: laciniæ interiores paulò minores, subconformes.

Lab. inerme; dependens, indivisum.

Gynost. Orchidis.

Rost. fissum.

Retin. nuda.

2ª. SECTIO.

11. GOODYERA.

Ovar. apice reclinatum.

Cal. oblongo-subfornicatus; infernè ventricoso-connivens, supernè patentiusculus.

Lab. inclusum; inerme; indivisum; infernè insigniter concavo gibbum; supernè in ligulam recurvam, canaliculatam angustatum.

Gynost. brevissimè stipitatum.

Gyniz. superficialis; abbreviato-rotundatus; planiusculus.

Rost. laminatum; erectum; obtusissimum.

Proscolla breviter inverso-parabolica.

Anth. stipitata; marginalis; postica; subrotunda, acuminata.

Poll. Massæ brevi-ovatæ, subteretes; per apicem obtusum adglutinatiles; particulis oblongis.

12. EPIPOGUM.

Ovar. pedicellatum; non contortum.

Cal. deorsùm patens; laciniis subconformibus.

Lab. posticum: vesicario-calcaratum: interruptum; Hypochilium veluti in binas auriculas, obtusas, porrectas antrorsum desinens; Epichilium ascendenti-reflexum, subcordato-ovale, concavum.

Gynost. oblongum; ad apicem truncatum, et profundè cavatum ad formandum *Clinandrium* margine indiviso.

Gyniz. paulò suprà basim Gynostemii, conspicuè prominens.

Rost. laminatum; a cætero Clinandrii margine non solutum.

Prosc. obovalis.

Anth. stipitata; marginalis; ferè superposita; subrotunda, retusa: loculi supernè curvatim angustati, totâ longitudine bivalves.

Poll. Massæ singulæ oblongo-ovoideæ, compressæ; ad summitatem sursùm curvæ et in subulam solidam sensim desinentes, per istius apicem adglutinatiles; particulis brevibus.

3ª. SECTIO.

13. LIMODORUM, fig. N°. 9.

Ovar. pedicellatum; non contortum.

Cal. erectus; in oblongum laxiusculè connivens.

Lab. ascendens; interruptum: Hypochilium subinfundibulare, marginibus imo Gynostemio adnatum, infernè in *Calcar* longum desinens; Epichilium ovale, obtusum, supernè recurvum, basi geniculatum.

Gynost. longissimum; semicylindraceum, supernè leviter recurvum.

Gyniz. suborbiculatus, infernè lunato-prominens.

Rostel. brevissimum, obtusum: *Proscolla* subrotunda.

Anth. marginalis; subcordata; cernua; Rostellum multùm superans.

Poll. Massæ oblongo-ovatæ; medium versùs adglutinatiles: granula simpliciter globulosa.

14. SPIRANTHES.

Spica spiraliter contorta.

Ovar. apice obliquatum.

Cal. in oblongum connivens; ad apicem subbilabiato-hians.

Lab. inclusum; inerme; oblongo-obovale, indivisum, canaliculato-amplexans, supernè recurvum et ad margines crispatulum.

Gynost. brevissimè stipitatum. *Gynizus* subellipticus.

Rost. laminatum; erectum: *Prosc.* oblonga, s. linearis.

Anth. marginalis; postica; cordata.

Poll. Massæ oblongæ; apice adglutinatiles: granula globuloso-tri-quadricellulata.

15. Neottia, fig. N°. 7.

Ovar. pedicellatum.

Cal. in globum laxè incurvo-connivens.

Lab. inerme; patens aut subpendulum; bifidum.

Gynost. breviter stipitatum. *Gyniz.* transversus.

Rost. Gynizo longius; laminatum; obliquè ascendens.

Prosc. apicilaris; minuta; ad posticam Rostelli faciem articulato-retroflexâ.

Anth. intramarginalis, brevi-cordata.

Disoxylum mollissimum. Bl. — *Trichilia mollissima.* Spreng.
—H. EXCELSA. *N.* [*Java.*]
Disoxylum excelsum. Bl. — *Trichilia excelsa.* Spreng. — *Melia excelsa.* DC. (ex *Spreng.*)

EPICHARIS. T. 4, nº. 12.

EPICHARIS. Blüm. — GUARE spec. Spreng.

CALYX cupulæformis, 4-fidus. PETALA 4 libera. FILAMENTA 8 coalita in tubum cylindricum, 8-crenatum crenis bifidis, fauce 8-antheriferum. ANTHERÆ inclusæ, cum crenis alternantes, erectæ, ovatæ. TUBULUS ovarium vaginans, urceolatus, crenulatus. STYLUS filiformis.

Stigma discoïdeo-capitatum. Ovarium 4-loculare, loculis 2-ovulatis : *Ovula* superposita. (Teste Blüme) Fructus capsularis, loculicido-2-4-valvis, 2-4-locularis loculis 1-spermis. Semina arillo carnoso incompleto tecta, cotyledonibus crassissimis.

Arbores. Folia impari-pinnata foliolis per juga oppositis. Inflorescentia axillaris, racemiformis. Rariùs calyci, petalis staminibusque quinta pars additur.

SPECIES.

—E. cauliflora. *Bl.* [*Java.*]
Guarea cauliflora. Spreng.

Obs. Extat in herb. Mus. Par. specimen arboris Javanicæ a Leschenault lectum et nomine vernaculo *Lolohane* inscriptum ab his omninò diverso quæ memorat Blüme. Cæterùm cum descriptione Blumeanâ *E. cauliflorœ* convenit. Fructus immaturus suppetit ovoïdeus, pedicello incrassato glabrato stipitatus, notis discoloribus maculatus, pericarpio suberoso, 4-locularis. Semina rubella, ventre adnata circa quem arillus se expandere incipit pallidior : embryo jàm conspicuus radiculâ brevi, superâ.

—E. sericea. *Bl.* [*Java.*]
Guarea sericea. Spreng.
—E. densiflora. *Bl.* [*Java.*]
Guarea densiflora. Spreng.
—E. altissima *Bl.* [*Java.*]
Guareæ sericeæ var. Spreng.
—E. speciosa. *N.* † [*Timor.*]
—E. Kunthiana. *N.* † [*Nov. Guinea.*]

CABRALEA. Tab. 5, no. 13.

Calyx brevis, 5-phyllus foliolis quinconciatìm imbricatis. Petala 5 medio reflexa, libera. Filamenta 10 connata in tubum cylindricum glabrum 10-crenatum crenis bifidis, fauce 10-antheriferum. Antheræ inclusæ, cum crenis, alternantes, erectæ, angustæ, subarcuatæ. Tubulus ovarium vaginans, obsoletè 5-gonus et 5-crenatus. Stylus

filiformis, glaber. Stigma discoïdeo-capitatum. Ovarium 5-loculare, loculis 2-ovulatis: *Ovula* superposita. Fructus.....

Caules lignosi. Folia impari-pinnata, foliolis per juga oppositis, inæquilateris, terminali longè petiolulato et difformi (quasi pars inferna limbi supprimatur). Paniculæ axillares, interdùm in ramis abortivis et aphyllis plures quasi compositæ vel fasciculatæ. Floribus rariùs quinta pars demitur.

Obs. Genus totum e speciebus Brasilianis constans dixi e nomine quod detecta Brasilia memoriæ commendat. — Affine hinc Epichari a quâ differt calyce imbricatìm 5-phyllo (non 5-fido valvatoque), numero partium vulgò quinario (non quaternario); indè Didymochetoni petalis cum tubo coalitis et tubuli membranacei formâ discrepanti; ab omnibus Meliaceis americanis disco tubuliformi recedens. Fructu cognito certior affinitas erit.

SPECIES.

—C. polytricha. *N.* † [*Brasilia.*]
—C. affinis. *N.* † [*Brasilia.*]
—C. oligothrica. *N.* † [*Brasilia.*]
—C. glaberrima. *N.* † [*Brasilia.*]

DIDYMOCHETON. Tab. 5, n°. 14.

Didymocheton. Blüm.

Calyx brevis, 5-phyllus foliolis quinconciatìm imbricatis. Petala 5 linearia infernè cum tubo stamineo arctè connata et confusa, supernè libera et reflexa. Filamenta 10 in tubum coalita cylindricum, apice 10-crenatum crenis bifidis, fauce 10-antheriferum. Antheræ inclusæ, cum crenis alternantes, erectæ, lineares. Tubulus membranaceus, partem inferiorem (tertiam et ultrà) styli vaginans, lageniformis, 5-dentatus. Stylus filiformis. Stigma discoïdeo-capitatum. Ovarium 5-loculare, septis tenuibus, loculis 2-ovulatis: *Ovula* superposita. (Teste Blume) Bacca? corticata, ovata, abortu 2-3-locu-

laris. Semina solitaria, exarillata, angulo interno loculorum affixa : *Cotyledones* crassæ; *radicula* supera.

Arbores fruticesve. Folia impari-pinnata, foliolis alternis vel per juga suboppositis oppositisve, mollibus. Flores in spicis axillaribus simplicibus aut compositis glomerulati, glomerulis bracteatis.

SPECIES.

—D. nutans. *Bl.* (v. s. fl. et fol. ex herb. Mus. Leyd.) [*Java.*]
—D. Leschenaultianum. *N.* † [*Java.*]
—D. Gaudichaudianum. *N.* † [*Rawak.*]

GONIOCHETON.

Goniocheton. Blüm. — Trichiliæ spec. Spreng.

Calyx minimus, obsoletè 5-dentatus. Petala 5 oblonga, patentia. Stamina 10 coalita in tubum brevem, dentatum, angulatum, conicum, fauce antheriferum. Tubulus membranaceus ovarium cingens. Stylus filiformis. Stigma peltato-angulatum. Ovarium 5-loculare loculis 2-ovulatis. Capsula globosa, coriacea, abortu 3-4-valvis, 3-4-locularis. Semina solitaria, exarillata, angulo interno affixa : *Cotyledones* maximæ, plano-convexæ; *radicula* supera.

Arbor. Folia impari-pinnata, foliolis suboppositis, basi sæpè inæqualibus. Racemi compositi, axillares.

Obs. Charact. ex Bl. Bijtr. p. 176.

SPECIES.

—G. arborescens. *Bl.* [*Java.*]
Trichilia arborescens. Spreng.

SANDORICUM. Tab. 5, nº. 15.

SANDORICUM. Cav.

CALYX breviter et obtusè 5-lobus. PETALA 5 patentia, libera. FILAMENTA 10 coalita in tubum cylindricum, 10-dentatum, introrsùm 10-antheriferum. ANTHERÆ inclusæ, dentibus oppositæ et applicitæ, erectæ, cordatæ. TUBULUS membranaceus, styli basim vaginans, brevis, apice lacero-5-dentatus. STYLUS columnæformis. STIGMA longum, basi simplex et globosum, cæterùm 5-lobum lobis emarginatis subdivergentibus. OVARIUM calycis fundo semiimmersum, 5-loculare loculis 2-ovulatis : *Ovula* collateralia, inter se quasi in unum coalita, pendula. FRUCTUS baccatus, pomiformis, 5-locularis loculis 1-spermis, 1-2 sæpè abortivis. (Teste Blume) SEMINA arillata, arillo chartaceo extùs pulposo : *Cotyledones* crassissimæ; *radicula* supera dorsalis.

ARBORES. FOLIA trifoliata. PANICULÆ axillares in quibus pedunculi partiales vulgò breves, floribus indè glomeratìm confertis, bracteis longiusculis stipati.

OBS. Stigma cum lobis habuit Cavanilles pro ovario et stigmatibus 5 sessilibus et stylum pro stipite pistilli. Hinc tantùm analogia dubiè a Candolleo cum Zanthoxylis indicata. —Præfloratio petalorum quinconciata.

SPECIES.

—S. INDICUM. *Cav.* (v. s. herb. Juss.) [*Ind. Philipp. Moluc.*]
Trichilia nervosa. Vahl.—Sieb. Pl. exsicc. (v. s. h. Balbis.)
Melia koetjape. Burm. (v. s. herb. Lessert.)

OBS. Synonymia nostra comprobatur tum descriptionibus Vahlii et Burmanni, tùm plantâ Sieberanâ et specimine herb. Lessert. quod nominibus, supra dictis inscriptum, ad Sandoricum pertinet. Idem accepi ex Hort. botan. ins. Mauritii sub nomine *Trichiliæ costatæ* cultum, sed in quo diversæ partes floribus exceptis pubem amiserant; cùmque hoc inter et specimen a Cavanillesio descriptum intermedia

occcurrant characteres differentiales specifici hic a pube non deducendi. Nonne ideò hùc quoque referenda *Trichilia venosa* Spreng., species Borbonica, foliis ternatis, obtusis, parallelè venosis, subtùs glabris discoloribus, floribus paniculatis glabris?—Specimina Madagascariensia quoque in herb. Mus. Par. extant: an culta?

—S. NERVOSUM. *Bl.* [*Java.*]

OBS. Speciem mihi ignotam an satis phrasis Blümeana specificè distinguit? Descriptio characteres fusiùs sistens dubium solvet.

LANSIUM.

LANSIUM. Blüm.

CALYX 5-phyllus, imbricatus. PETALA 5 subrotunda. STAMINA 10 in tubum subglobosum apice intùs antheriferum coalita. STYLUS crassus. STIGMA truncato-radiatum. OVARIUM annulo exiguo cinctum, loculis 2-ovulatis. BACCA corticata, 5-locularis, loculis nonnullis abortivis. SEMINA solitaria (aut ex agglutinatione ovulorum cotyledonibus lobatis et tali modo embryones 2 in quoque semine gerentia) baccato-arillata: *Cotyledones* transversè sibi incumbentes, crassissimæ.

Arbores. Folia pinnata, foliolis paucis alternis.

OBS. Charact. ex Blüm. Bijtr. p. 164. — An idem genus cum *Lansio* Jack. mihi similiter ignoto, speciem duplicem (alteram fructu 2-spermo) sibi vindicante?

SPECIES.

—L. DOMESTICUM. *Bl.* [*Java.*]

EKEBERGIA. Tab. 6, no. 16.

EKERGIA. Sparm. — TRICHILIÆ sp. Pers.

CALYX brevis, 5-fidus. PETALA 5 libera. FILAMENTA 10 coalita in tubum campanulatum, apice 10-dentatum dentibus antheriferis. ANTHERÆ exsertæ, erectæ. STYLUS breviusculus, crassus. STIGMA dis-

coïdeum capitatumve, 4-5-lobum. Ovarium disco annulari interdùm libero interdùm connato basi cinctum, 4-5-loculare, loculis 2-ovulatis : *Ovula* superposita. Fructus bacciformis, 4-5-locularis, loculis 1-spermis, non rarò pluribus abortivis. Semina exarillata : *Embryo* radiculâ superâ, cotyledonibus accumbentibus.

Arbores. Folia impari-pinnata, foliolis per juga oppositis. Paniculæ axillares. Flores pube brevi albicantes, vulgò alii fertiles steriles alii.

SPECIES.

—E. senegalensis. *N.* † [*Senegambia.*]

—E. capensis. *Sparm.* (v. s. herb. Juss. Lessert. Mus.) [*Cap. Bon. Sp.*] *Trichilia capensis*. Pers.

Obs. Calyx longior loborum præfloratione quinconciatâ. Petala calyce vix duplo longiora. Antheræ pubescentes apiculatæ. Discus annularis partìm liber. Ovarium villosum. Stigma ovoïdeum, sulcis longitudinalibus exaratum, 4-rariùs 3-loculare. Character igitur planè inversus ac in auctoribus petala 4 et baccam 5-spermam describentibus. An numerus loculorum cum cæteris floris partibus proportione discordans, speciem hanc a præcedente, additâ disci et stigmatis discrepantiâ, genericè discernit?

HEYNEA. Tab. 7, n°. 17.

Heynea. Roxb.

Calyx brevis, 5-fidus. Petala 5 libera. Filamenta 10 infernè in tubum coalita, supernè libera, singula apice bifida et inter lacinias antherifera. Antheræ erectæ, apiculatæ. Stylus brevis, clavatus. Stigma discolor, sphæroïdeum, lobis 2 apiculatum. Ovarium disco immersum sæpiùs supra ipsum annulatìm prominente, biloculare loculis 2-ovulatis : *Ovula* collateralia, infra apicem suspensa. Fructus (ex DC.) capsularis, bivalvis, abortu 1-locularis, 1-spermus. Semen arillatum, cotyledonibus crassissimis, radiculâ superâ.

Arbores (an semper?). Folia alterna, pinnata, foliolis 1-multi-

jugis. Pedunculi axillares, infernè simplices, supernè pluries 2-3-chotomi et cymosìm demùm floriferi. Rariùs quinta pars floribus (teste Blüme) demitur.

SPECIES.

—H. trifoliata. *N.* † [*India.*]

—H. trijuga. *Roxb.* in Sims. Bot. mag. (v. s. in herb. Desf. ex hort. Calc.) [*India.*]

—H. affinis. *N.* † [*India.*]

—H. quinquejuga. *Roxb.* Cat. [*Java.*]

Obs. Species hæc nomine tantùm nota. Eodem designatur in Sprengel. syst. *Trichilia? rufinervis* Bl. an reverâ Heyneæ species? species Roxburghiana huic sequenti-ne referenda?

—H. multijuga. *Bl.* [*Java.*]

TRICHILIA. Tab. 7, nº. 18.

Trichilia. L.-Juss.-Cav. — Portesia. Juss.-Cav. — Elkaja. Forsk.—Juss.

Calyx brevis, 4-5-dentatus-fidusve. Petala 4-5 libera. Filamenta 8-10 infernè aut rariùs tota coalita in tubum, singula apice plerumque bidentato antherifera. Antheræ exsertæ, erectæ. Stylus erectus, ovarium summum continuans. Stigma capitatum 3-rariùs 2-lobum. Ovarium insidens disco partem ipsius aut tubi basim vestienti, 3-2-loculare loculis 2-ovulatis: *Ovula* collateralia pendula vel superposita. Fructus capsularis, loculicido-3-rariùs 2-valvis, 3-1-locularis loculis 1-2-spermis. Semina arillo carnoso partìm aut omninò vestita: *Embryo* radiculâ superâ, cotyledonibus collateralibus.

Arbores fruticesve. Folia impari-pinnata, foliolis alternis vel oppositis, 1-multi-jugis. Paniculæ axillares, diversiformes, interdùm ramulo abortivo insidentes et tunc gemmâ interpositâ quasi fasciculatæ, eædemque vulgò breviores.

Obs. Præfloratio petalorum nunc subvalvata, nunc sæpiùs contorto-convolutiva.

Ovula, dùm collateralia, sæpè inter se quasi in unum adglutinata. —An e duplici sectione duplex genus instituendum?

SPECIES.

* Trichilia. Numerus quinarius. Ovula collateralia.

† Africanæ.

—T. emetica. *Vahl.* (v. s. herb. Juss.) [*Senegambia. Arabia.*]
Elcaja. Forsk. p. 127.

Obs. Descriptiones Forskalii Vahliique planè quadrant in plantam Senegalensem nobis suppetentem, absque nullo igitur dubio conspecificam. Hæc (teste Leprieur) arbor 12-15-pedalis, fronde subpyramidatâ, foliis subtùs pube velutinâ argenteis. Inflorescentia suprà descripta (vid. p. 161). —Adde descriptionibus citatis semina collateralia, arillo rubenti involuta, radiculâ brevi superâ inter cotyledones crassas sibi obliquè incumbentes retractâ.

—T. Prieureana. *N.* † [*Senegambia.*]

†† Americanæ.

—T. discolor. *N.* † [*Brasilia.*]

—T. hirta. *L.* (v. s. herb. DC.) [*Jamaïca.*]

Obs. Addantur descriptioni antheræ dorso villosæ quibus cum alterâ sectione convenit.

—T. spondioides. *L.* (v. s.) [*Antillæ.*]

Obs. Hanc Jacquin prope Carthagenam crescentem indicat, Humboldt prope Mompox in ripis Magdalenæ invenit, cujus specimen (v. s. herb. Mus.) cæterùm cum Antillanis conveniens differt floribus minoribus, quod et in specimine Guianensi (herb. Desf.) quoque occurrit. An igitur species e continente Americæ australis seu *T. spondioïdes* Kth., varietas præcedentis?

—T. terminalis. *Jacq.* [*Jamaïca.*]

—T. tomentosa. *Kth.* (v. s. herb. Humb. Mus.) [*Peruvia.*]

—T. quadrijuga. *Kth.* (v. s. herb. Humb. Mus.) [*Colombia.*]

—T. havanensis. *Jacq.* (v. s. herb. Humb. Mus.) [*Antillæ.—Mexic.*]
T. Glabra. L.

Obs. Flores sæpè 4-petali 8-andri, quâ notâ ad Portesias accedit, ovulis collateralibus et antheris glabris discrepans.

—T. trifoliolata. *L.* (v. s. herb. Humb. Mus.) [*Amer. austr.—Curaçao.*]
T. halesia. Lœfl.

—T. PORTORICENSIS. *Spreng.* [*Porto-Rico.*]
—T. PTELEÆFOLIA. *N.* Fl. Bras. (v. s. herb. St.-Hil. Mus.) [*Brasilia.*]

** PORTESIA. Numerus quaternarius. Ovula superposita. Antheræ villosæ.

—T. SIMPLICIFOLIA. *Spreng.* (v. s. herb. Rich.) [*Martinica.*]
Hedwigia simplicifolia. Sieb. Pl. exs. (v. s. herb. Kth).

OBS. Frutex mediocris. Folia re verâ trifoliolata, sed foliolis lateralibus decies ferè minoribus, altero aut utroque sæpè deficiente aut lapso quasi simplicia.

—T. DIVERSIFOLIA. *N.* † [*Guadalupa.*]
—T. MONTANA. *Kth.* Suppl. (v. s. herb. Humb. Mus.) [*Nov. Grenad.*]
—T. PALLIDA. *Sw.* (v. s.) [*Antillæ.—Nov. Hispan.*]
Portesia ovata. Cav.—*Guarea obtusifolia.* Lamck. Encycl.
—T. TRINITENSIS. *N.* † [*Trinitas.*]

Sp. dubia.

—T. HETEROPHYLLA. *W.* [*Madagascar.*]
Portesia mucronata. Cav.

OBS. Tubus stamineus 4-crenatus crenis 2-crenulatis, 8-antherifer antheris erectis exsertis cum crenis crenulisque alternantibus. Stigma capitatum 3-dentatum loculos tres indicat; sed nullos in floribus multis unquàm repperi : stylus ex ovario disciformi pleno (forsàn vero disco) oriebatur. —Species removenda profectò a Trichiliâ, cui tamen adhùc subjunctam reliqui veræ affinatis nescius, ovarii etpræsertìm fructûs seminisque notitiam desiderans. An semini perispermum adest et Meliceis accedit, species nova Azadirachtæ vel generis distincti typus?

Sp. excludendæ.

T. alliacea. (v. Hartighsea).—*T. bijuga.* (v. Hartighsea).—*T. glandulosa.* (v. Synoum).—*T. nervosa.* (v. Sandoricum).—*T. procera.* (v. Carapa). — *T. rufinervis.* (v. Heynea). — *T. spectabilis.* (v. Hartighsea). — *T. spinosa.* (Turræa virens Hell.-Atalantia monophylla. DC.). — *T. venosa.* (v. Sandoricum).

T. inermis Spreng. et *T. scandens* Lun. non satis notæ, forsan a Meliaceis, a Trichiliâ certè recedunt.

T. cathartica. Mart. reis., tantùm nomine et virtute nota, reverâ hujus generis et cum specierum in Florâ Bras. merid. descriptarum quâdam (sed nescio quâ) conspecifica.

MOSCHOXYLUM. Tab. 8, nº. 19.

Trichiliæ sp. Sw. et auct.

Calyx brevis, 4-5-fidus-dentatusve, rariùs subinteger. Petala 4-5 in corollam monopetalam 4-5-fidam basibus coalita, rariùs libera. Filamenta 8-10 coalita in tubum brevem, apice 10-dentatum dentibus subulatis, 8-10-antheriferum. Antheræ exsertæ, cum dentibus alternantes, erectæ. Stylus brevis. Stigma capitatum aut trilobum. Ovarium insidens disco nonnunquàm partem ipsius vestienti, 3-loculare, loculis 2-ovulatis: *Ovula* collateralia, pendula. (Teste Swartz) Fructus Trichiliæ, capsularis, 3-valvis, 3-locularis, loculis 1-spermis. Semina arillo succoso vestita.

Arbores, arbusculæ vel frutices, ligno in quibusdam Moschum redolente, in quibusdam amarum sapente. Folia pinnata, foliolis alternis vel cum impari oppositis. Paniculæ nunc terminales amplæ, nunc axillares breviores (eædemque non raró in ramulo abortivo 2-4 et indè quasi bi-ter-quater-natæ gemmâ interpositâ), interdùm admodùm paucifloræ. Flores parvi, globulosi : ovario rarissimè loculus quartus additur.

Obs. Species priùs in Florâ Brasilianâ ad Trichiliam relatas hìc genericè, novis additis, distinguo, flore sed præsertìm tubo stamineo abundè discrepantes : quapropter phrases specificas novas (cùm veteres jàm non conveniant) hìc singulis adjicio. — Species præ cæteris nota et vulgò apud Jamaïcenses ab odore dicta *Moschi lignum* nomen imponit generi.

SPECIES.

* Petala distincta. Ovaria glabra.

—M. Richardianum. *N.* (v. s. herb. Rich.) [*Brasilia.*]

Trichilia Richardiana. N. Fl. Bras.

T. foliis impari-pinnatis, sub trijugis; foliolis lanceolato-ovatis, obtusiusculè acuminatis, subtùs ad axillas nervorum pilosis; paniculis axillaribus, laxis et paucifloris, petiolo longioribus; petalis glabris; tubo 8-dentato.

—M. ELEGANS. *N.* [*Brasilia.*]

Trichilia elegans. N. Fl. Bras. (v. s. herb. St.-Hil. Mus.)

T. foliis impari-pinnatis, 1-3-jugis, foliolis lanceolatis, obtusiusculis, subtùs ad axillas nervorum pilosis; paniculis racemiformibus, petiolum subæquantibus; petalis glabris; tubo 10-dentato.

** Petala basibus in corollam monopetalam coalita. Ovaria densè villosa.

—M. PSEUDOSTIPULARE. *N.* † [*Brasilia.*]

—M. ODORATUM. *N.* [*I. St.-Vincentii.*]

Trichilia odorata. Andr.—*T. moschata.* β. DC.

—M. SWARTZII. *N.* [*Jamaïca.*]

Trichilia moschata. Sw. (v. s. herb. DC.).

—M. CATIGUA. *N.* [*Brasilia.*]

Trichilia catigua. N. Fl. Bras. (v. s. herb. St.-Hil. Mus.).

T. foliis pinnatis, foliolis 7-9 lanceolato-ovatis, obtusè et breviter acuminatis, subtùs secundùm nervos puberulis; paniculis axillaribus folio duplo brevioribus; corollâ tubulosâ, 4-5-fidâ, parcè puberulâ.

—M. AFFINE. *N.* [*Brasilia.*]

Trichilia affinis. N. Fl. Bras. (v. s. herb. St.-Hil. Mus.).

T. foliis pinnatis, foliolis 9-12 alternis vel suboppositis, lanceolatis, vel lanceolato-ovatis, breviter acuminatis, glabris; paniculis axillaribus folio multò brevioribus; corollâ altè 4-5-fidâ, densè pubescente.

—M. CIPO. *N.* † [*Guiana.*]

—M. PLEEANUM. *N.* † [*Brasilia.*]

GUAREA. Tab. 8, nº. 20.

GUAREA. L. — TRICHILIÆ sp. L. et quorumdam. — GUIDONIA. Plum.

CALYX brevis, 4-dentatus-lobus-partitusve. PETALA 4 libera. FILAMENTA 8 coalita in tubum cylindricum vel 4-8-gono-prismaticum, sub apice integro vel 8-sinuato introrsùm 8-antheriferum. ANTHERÆ

inclusæ, medio vel imo dorso adnexæ. Stylus tubum vix superans. Stigma discoïdeum. Ovarium disco insidens interdùm stipitiformi, 4-loculare loculis 2-1-ovulatis : *Ovula*, dùm bina, superposita ; dùm solitaria, vulgò ascendentia. Fructus capsularis, lævis, vel costatus, vel tuberculatus, loculicido-4-valvis, 4-locularis loculis 1-2-spermis. Semina angulo interno ventre partìm adnata : *Embryo* antitropus, radiculâ dorsali, cotyledonibus superpositis.

Arbores fruticesve. Folia pinnata, foliolis alternis vel sæpiùs per juga oppositis, duplici ordine evolutis (ita ut petioli foliolis explicitis instructi apice progeniem foliolorum alteram modùm explicitam et gemmæ æmulam proferant). Paniculæ axillares, non rarò spiciformes racemiformesve.

Obs. Species sat numerosas distribuere referret in sectiones, qnas ego naturæ congruentes invenire non potui. An eruendæ e variâ fructûs superficie? sed fructus in pluribus ignotus.

SPECIES.

—G. ramiflora. *Vent.* (v. s. herb. Lessert. Mus. Juss.) [*Porto-Rico.*]
G. humilis. Bert. in DC. (v. s. herb. Kth).

Obs. Inflorescentiam axillarem foliorum lapsorum cicatrices et sæpè quoque folia cum floribus persistentia demonstrant. Nunc in capitulum contrahitur, nunc extenditur in spicam, neque character differentialis ex hâc diversitate interdùm in ramo eodem existente petendus. — Loculi 1-ovulati, ovulo infra apicem pendulo.

—G. vahliana. *N.* † [*Guadalupa.*]

—G. excelsa. *Kth.* (v. s. herb. Humb. Mus.) [*Mexic.*]

—G. trichilioïdes. *Cav.* (v. s.) [*Antillæ.*]
T. Melia guara. Jacq.

Obs. Species Linnæana, typus generis, admodùm tamen ambigua, diversis aliis, ut videtur, ad hanc falsò relatis. Elegi speciem sic a Cavanillesio dictam ut pote mihi e speciminibus authenticis notam et eodem nomine in plerisque herbariis inscriptam. Hanc exhibet *Guidonia nucis juglandis folio minor* in Plumier Ic. mss. : an et *Guidonia major* (*Samyda foliis ovatis acuminatis.* Burm.) Icon. 147 f. 2, e quâ Linnæus *Trichiliam guaram*, seriùs *Guaream trichilioïdem*, instituit? Varietates ejusdem speciei judicat Burmann, Plumier species diversas, et assentitur De Candolle cui posterior *Guarea grandifolia* dicitur. — Idem sub nomine *Guarea*

Swartzii distinxit *G. trichilioïdem* Sw. an rectè? Auctorum specimina dubium solvant. Sed e variabili jugorum numero character differentialis non petendus. — *G. trichilioïdes* Cav. in multis herbariis mihi occurrit semper Antillana, cortice ramorum griseo, nunquàm rubente. Extat ejusdem specimen in perutili ad synonymiam Plumieranam herbario Suriani (nº 466), paululùm tamen discrepans fructu ad basim breviùs angustato et pube brevi quasi pulverulento.

—G. SPICIFLORA. *N.* Fl. Bras. (v. s. herb. St.-Hil. Mus.) [*Brasilia.*]
—G. MULTIJUGA. *N.* Fl. Bras. (v. s. herb. St.-Hil. Mus.) [*Brasilia.*]
—G. PURGANS. *N.* Fl. Bras. (v. s. herb. St.-Hil.) [*Brasilia.*]
—G. AUBLETII. *N.* † [*Guiana.*]
Trichilia guara. Aubl.—*Guarea trichilioïdes.* Rich.Cat. Le Bl.
—G. MULTIFLORA. *N.* †· [*Patr. incert.*]
—G. SCABRA. *N.* † [*Guiana.*]
—G. PERROTETIANA. *N.* † [*Guadalupa.*]
—G. PUBESCENS. *N.* † [*Guiana.*]
Trichilia pubescens. Rich. Cat. Le Bl.
—G. PUBIFLORA. *N.* † [*Brasilia.*]
—G. VELUTINA. *N.* † [*Brasilia.*]
—G. AFFINIS. *N.* † [*Guiana.*]
—G. KUNTHIANA. *N.* † [*Guiana.*]
—G. COSTATA. *N.* † [*Guiana.*]
—G. RICHARDIANA. *N.* † [*Guiana.*]
—G. BRACHYSTACHYA. DC. Prod. [*Mexic.*]
—G. TUBERCULATA. *N.* Fl. Bras. (v. s. herb. St.-Hil. Mus.) [*Brasilia.*]
—G. LESSONIANA. *N.* Fl. Bras. (v. s. herb. Mus.) [*Brasilia.*]
—G. MEGANTHA. *N.* † [*Guiana.*]

Sp. non satìs notæ.

—G. BINECTARIFERA. *Roxb.* Cat. [*India.*]

OBS. De hâc (ut et de sequenti) nihil aliud notum nisi nomen quod satis indicat ad alium genus disco tubuloso instructum transferendam.

—G. PANICULATA. *Roxb.* Cat. [*India.*]

Mentio præthereà fit in catalogo steudeliano ut et in Prodromo DC. specierum duarum a Cavanillesio institutarum (quas neglexi nescius ubì eas auctor descripserit). Sunt scilicet *G. macrophylla* et *G. glabra* quas dubiè ad alias refert De Candolle, priorem scilicet ad suam *G. grandifoliam*, posteriorem ad *G. humilem*.

Sp. excludendæ.

G. cauliflora. (v. Epicharis). — *G. densiflora.* (v. Epicharis). — *G. obtusifolia.* (v. Trichilia). — *G. sericea.* (v. Epicharis).

CARAPA. Tab. 9, nº. 21.

Carapa. Aubl. — Xylocarpus. Schreb. — Persoonia. W.

Calyx 4-5-phyllus, foliolis squamuloïdeis, quinconciatìm imbricatis. Petala 4-5 libera, reflexa, obtusa. Filamenta 8-10 coalita in tubum 8-10-crenatum crenis subintegris, introrsùm 8-10-antheriferum. Antheræ inclusæ, cum crenis alternantes, imo dorso affixæ, crassæ. Stylus brevis, crassus. Stigma piliforme, convexum. Ovarium disco latiori, suprà concavo impositum, 4-5-costatum, 4-5-loculare loculis 4-ovulatis: *Ovula* biseriatìm angulo interno adnexa, superposita. Fructus ut in Xylocarpo.

Arbores. Folia impari-pinnata vel sæpiùs abruptè petiolo in apiculum desinente, foliolis multijugis. Paniculæ ad axillas bractearum summos ramos aphyllos imbricatìm tegentium, longarum, coriacearum, utrinquè basi glandulis scutelliformibus impressarum, indè quasi terminales, confertæ, multifloræ.

Obs. Præfloratio petalorum contorta, cum loculis pluriovulatis, inflorescentiâ et sexu altero constantiùs in floribus imperfecto, transitum ad Cedrelaceas suppeditat.

SPECIES.

—C. guianensis. *Aubl.* (v. s. herb. Juss. Mus.) [*Guiana.*]

Persoonia guareoïdes. W.

Obs. Tres hujus varietates in Guianâ, teste Noyer (Forêts vierges de la Guiane, p. 30), nigra in montanis, rubra et alba ligno leviori in paludosis crescentes.

—C. guineensis. *Sweet.* hort. Brit. [*Afric. occid.*]

Obs. Catalogus Sweetianus nomen tantùm indicat cum patriâ quæ Sierra Leona. Vidi (in herb. Cambess.) specimina ex hâc ipsâ regione a Smeathmann relata quæ *Trichilia procera* inscribuntur. Nullatenùs ab his differt *Carapa? procera* DC.

(v. s. herb. Desf.), cujus tamen origo ex Antillis indicatur, seu aliqua subrepserit de patriâ confusio, sive sit utrique continenti communis. — Viator indefessus Perrotet, cui licuit tùm in americano tùm in africano littore conferre Carapam, quin specificè differant non dubitat. E notis et speciminibus senegalensibus (quæ typum hujus speciei nobis suppeditabunt) ab ipso communicatis :

Carapa guineensis (vulgò *Touloucouna* yollarum) arbor 80-90-pedalis, ramis numerosis lentisque ab altissimo ad terram relabentibus; paniculis terminalibus longissimè ramosis ità ut fructus ab axe communi per longissimum pedunculum pendere videantur. Adde in foliolo usque 3-pedali foliola multijuga, obovata, tantùm apiculata; flores numero partium semper quinario, tubo urceolato longiori et ad apicem minùs obtusè crenato. — In ripâ fluminis Casamance, quinque ab ipsius ostio leucas, prope pagum Hitou. Fructus Maïo Junioque maturat.

Carapa guianensis arbor minùs procera, ramis parùm divergentibus (1), paniculis breviter ramosis et fructibus indè in pedunculo communi ferè sessilibus, foliolis magìs elongatis et apice in acumen breve angustatis; floribus magìs coriaceis, numero partium plerumque quaternario, sed non ità constanter ut character differentialis indè petatur.

Carapa procera deniquè inter præcedentes media, inflorescentiâ guianensem, flore guineensem refert. An tres ejusdem speciei varietates? an semina tegumento crasso defensa atlanticum transfretarunt et cœlum sub quo creverunt diversum diversam faciem impressit? Quæstio non in Europâ solvenda.

Sp. minùs nota.

Voua Rouguou Madagascariensium, cujus semina tantùm suppetunt a Poivre olim relata inque herb. Juss. servata, species est hujus generis vel sequentis. Suspicor *Carapæ* speciem e ramo arboris cujusdam Madagascarensis (in herb. Cambess.), quæ proxima *C. proceræ*, nisi etiam eadem.

XYLOCARPUS. Tab. 9, nº. 22.

Xylocarpi sp. Koen. — Carapæ sp. auct.

Calyx urceolatus, 4-fidus. Petala 4 libera, reflexa. Filamenta 8 coalita in tubum urceolatum, apice 8-fidum, laciniis acutis bipartitis, introrsùm 8-antheriferum. Antheræ inclusæ, crenis oppositæ, erectæ. Stylus brevis, stigmate latiori suprà convexo pileatus. Ovarium disco latiori suprà concavo impositum, 4-sulcum, 4-loculare, loculis (ex

(1) Altissima tamen ramis erectis patentibusve, teste Aublet.

Blüme) 2-5-ovulatis. Fructus maximus, sphæroïdeus, pericarpio carnoso, in valvas 4 solubili oppositas dissepimentis, his in membranam attenuatis et sæpè evanidis quasi 1-locularis, 6-12-spermus. Semina reliquiis axis centralis inserta, ascendentia, extrorsùm convexa, cæterùm contactu mutuo variè angulata, difformia, maxima, integumento crasso spongioso: *Embryo* antitropus, radiculâ dorsali brevi, cotyledonibus superpositis, crassissimis, inæqualibus, conferruminatis, oleaginosis.

Arbores littorales. Folia abruptè pinnata, paucijuga. Paniculæ axillares vel subterminales, laxi-pauci-floræ. Semina jàm intra fructum germinantia.

Obs. Genus distinctum a Carapâ calyce monophyllo, laciniisque tubi staminei bifidis quibus antheræ oppositæ. — Præfloratio petalorum convolutiva.

SPECIES.

—X. granatum. *Koen.* (v. s. herb. Mus. cum fructu). [*Ins. Moluc. Marian.*]

Carapa moluccensis. Lamck.—*C. indica*. Juss. Dict. Sc. Nat.

—X. obovatus. *N.* [*Java.*]

Carapa obovata. Bl.

Genera Trichilieis affinia.

CALPANDRIA. Tab. 9, nº. 23.

Calpandria. Blüm.

Calyx 4-phyllus, persistens, foliolis inæqualibus. Petala 4. Stamina 25-40, filamentis inferioribus distinctis, summis in tubum cylindricum intùs ad faucem antheriferum coalitis. Ovarium 3-4-loculare, loculis 5-ovulatis. Stigma semitrifidum. Capsula lignosa, subglobosa, 3-valvis, 3-locularis, valvis medio septiferis; loculis (nonnullis abortivis) 1-2-nucleis. Nuclei difformes, 1-spermi. Semina exalbuminosa, exarillata: *Embryo* inversus, cotyledonibus maximis.

Frutex. Folia simplicia, lanceolata, serrata. Flores solitarii geminive, axillares lateralesve.

Obs. Character ex Blüme (Bijtr. p. 178.) qui genus affine Carapæ judicat et cum utroque suam Xylocarpearum tribum constituit; a genuinis tamen Meliaceis meâ sententiâ removendum propter stamina crebra quorum quædam libera et, ut videtur, habitum quoque dissimilem.—Addam quædam quæ mihi flos unicus observatus obtulit, in quo : calycis foliola concava bifariàm imbricata. Petala valdè inæqualia. Distinguenda in staminibus tubus et ipso inclusa filamenta filiformia, quæ, quò magis a centro recedunt, eo longiora sunt altiùsque cum tubo coalescunt et quæ geminatìm disposita videntur : duo enim interiora omninò libera; duo deindè e tubo prope basim exserta, duo deindè versùs tertiam partem, duo deindè versùs medium et simili ordine sequentia, extremis tubum æquantibus, cum ipso coalitis confusisque. Antheræ ovatæ, connectivo magno quod loculi utrinquè marginant, basi affixæ et pondere suo dependentes; exteriores exsertæ eædemque plus minùs abortivæ et difformes. Stigma trifidum lobis bilobulatis. Loculi 6-ovulati, ovulis biseriatis potiùsque dissepimento quàm angulo interno affixis. — Hæc concisæ Blümii descriptioni licet subjungere; sed meliùs nobis fusiùsque generis singularis characteres Flora Javæ explicabit.

AGLAIA. Tab. 3, no. 7.

Aglaia. Lour.-Blüm. — Camunium. Rumph. — Cambania. Commers

Calyx 5-dentatus-partitusve. Petala 5 conniventia, quinconciata. Stamina 5, filamentis connatis in urceolum integrum vel 5-dentatum, antheris inclusis. Stigma subsessile, obtusum. Ovarium 1-loculare 2-ovulatum, in floribus multis abortu masculis inane. Bacca corticata, exsucca, 1-2-sperma. Semina exarillata : *Embryo* absque perispermo, cotyledonibus crassissimis.

Arbores, rariùs frutices. Folia impari-pinnata foliolis per juga oppositis. Paniculæ axillares, diversiformes. Interdùm ramuli, folia et inflorescentia lepidota. Flores abortu polygami, rariùs petalis basi coalitis monopetali.

Obs. Charact. ex Blüm. Bijtr. p. 169 et e flore unius speciei. — Genus Aurantia-

ceum ex DC. ; affinius Meliaceis et Nemedræ, a quâ differt staminibus numero petalorum æqualibus non duplis et ovario 1-loculari.

SPECIES.

—A. ODORATA. *Lour.* (v. s. herb. Mus. Juss.) [*China.—Cochinchina.—Java.—Manilla.—I. Mauritii.*]
Camunium sinense. L.—*Vitex pinnata.* L.—*Opilia odorata.* Spreng.
—A. ARGENTEA. *Bl.* [*Java.*]
—A. SULINGI. *Bl.* [*Java.*]
—A. ELLIPTICA. *Bl.* [*Java.*]
—A. SPECIOSA. *Bl.* [*Java.*]
—A. ODORATISSIMA. *Bl.* [*Java.*]
—A. POLYSTACHYA. *Wallich* in Spreng. [*India.*]

Sp. excludenda.

—A. DECANDRA. *Wall.* in Spreng. [*Indiâ*], propter flores 10-andros et fructus 5-spermos.

CEDRELACEÆ.

Cedreleæ. R. Br.

Calyx nunc 4-5-phyllus foliolis imbricatis, nunc monophyllus 4-5-divisus. Petala totidem cum divisuris calycinis alternantia, iis duplò et ultrà longiora, interdùm unguiculata, distincta : præfloratio contorta vel contorto-convolutiva. Stamina numero petalorum dupla, breviora; iisdem opposita alternis semper antheriferis breviora, interdùm sterilia aut etiam deficientia : *Filamenta* disco hypogyno cum petalis inserta, nunc lata, plana, apice bidentata lateribusque in tubum 8-10-antheriferum coalita, nunc subulata, distincta, singula apice 1-antherifera : *Antheræ* imo vel medio dorso affixæ, introrsæ vel demùm versatiles, biloculares loculis rimâ longitudinali dehiscentibus : *Pollen* subglobosum, læve, circulis 4-5-pellucidis poro centrali perforatis? in ambitu notatum. Discus glandulosus ovarium stipitans aut annulatìm ejus basi circumpositus et cohærens, aut longior tubuliformis ipsum laxè circumdans. Stylus simplex. Stigma summo stylo nunc æquale, nunc latius peltatoque discoïdeum, tot lobis vel angulis quot sunt loculi notatum. Ovarium liberum, loculis numero petalorum æqualibus vel rariùs paucioribus (3) : *Ovula* in singulis 4-8-12 vel plura, placentis septa marginantibus et in axem coalitis biseriatìm affixa. Fructus lignosus, capsularis, 3-5-locularis, 3-5-valvis valvis solubilibus ab axe crasso, dissepimentis quæ cum valvis alternant 3-5-gono-alatove inque ipsis seminifero. Semina indè biseriatìm juxta loculi angulum internum utrinquè inserta, exarillata, plana, imbricata, pendula vel ascendentia:

Integumentum duplex, interius membranaceum, exterius membranæformi-fungosum, in alam supra infrave vel circa semen extensum : *Embryo* nunc intra perispermum carnosum tenue, sæpè cum ipso coalitum confusumque, nunc absque perispermo rectus, obliquus vel etiam transversus, cotyledonibus foliaceis collateralibus, radiculâ brevissimâ.

Arbores ligno sæpiùs denso, odorato et pulchrè colorato, in regionibus intertropicalibus vel extratropicalibus calidioribus degentes. Folia alterna, exstipulata, pinnata, foliolis alternis vel sæpiùs per juga oppositis. Paniculæ terminales, subterminalibus ad summorum foliorum partìm vel omninò abortantium axillas sitis sæpè auctæ, amplæ, rariùs axillares, quibus tamen in cymulas desinentibus inflorescentia potiùs definita. Flores pseudo-hermaphroditi, sed alii ovariis effœtis masculi steriles, alii polline deficiente fœminei fertiles.

† SWIETENIEÆ.

Filamenta in tubum coalita. Hilum in apice alæ funiculo percursæ situm. Corollæ præfloratio contorta.

Obs. Semen in tribus generibus observatum, in quarto (*Chukrasiâ*) non suppetens sed tamen (prænuntiante ovulo) simile.

SWIETENIA. Tab. 11, n°. 25.

Swietenia. L. — Maagoni. Adans.— Roia. Scop.

Calyx brevis, obtusè 5-fidus. Petala 5 reflexa. Filamenta 10 coalita in tubum subcampanulatum, 10-dentatum, introrsùm 10-antheriferum. Antheræ inclusæ, cum dentibus alternantes, dorso medio adnexæ, apiculatæ. Stylus brevis. Stigma discoïdeum, supra 5-radiatum. Ovarium ovoïdeum, basi disco annulari cinctum, 5-loculare

loculis circiter 12-ovulatis. Fructus capsularis, oviformis, 5-locularis, a basi septifrago-5-valvis : in valvis singulis sarcocarpium lignosum crassissimum ab endocarpio solubile, utrumque autem ab axe amplo, persistente, dissepimentis supernè 5-gono et infernè 5-alato. Semina ex axe summo pendula, in singulis loculis 12 biseriatìm imbricata, planiuscula, integumento circa nucleum incrassato et spongioso, suprà in alam expanso oblongam : *embryo* transversus, radiculâ papillæformi brevissimâ latus loculi spectante, cotyledonibus inter se et cum perispermo carnoso conferruminatis confusisque.

Arbor magna, ligno duro fusco-rubente. Folia abruptè pinnata foliolis per juga oppositis, parvis, admodùm inæquilateris. Paniculæ axillares vel subterminales, laxifloræ.

SPECIES.

—S. mahogoni. *L.* (v. s.) [*Amer. equinox.*]
Cedrus mahogoni. Mill.

Obs. Peccat figura a Gærtnero (2, p. 89, tab. 96) delineata, in quâ dehiscentia fructûs ab apice non a basi incipit : indè alter error capsulam apice amplè 5-locularem, basi 1-locularem describentis. Situm igitur fructûs invertisse videtur auctor. Sed peccat quoque de seminis fabricâ in quâ embryonem a perispermo distinctum, radiculâ inferâ et recurvâ erectum depingit. An potiùs quàm summo botanico error duplex tribuatur, duplex species admittenda?

KHAYA. Tab. 10, no. 24.

Swieteniæ sp. Des Rouss.

Calyx 4-phyllus foliolis alternativè imbricatis. Petala 4 patentia. Filamenta 8 coalita in tubum basi inflatum, apice 8-dentatum dentibus contortìm latere imbricatis, introrsùm 8-antheriferum. Antheræ inclusæ, cum dentibus alternantes, summo dorso per filum breve adnexæ. Stylus brevis, crassus. Stigma discoïdeum, 4-radiatum. Ovarium disco annulari impositum et basi cinctum, oblongo-ovatum,

4-loculare loculis 16-ovulatis. Fructus capsularis, globosus, 4-locularis, ab apice septifrago-4-valvis, valvis crassis, lignosis, solubilibus ab axe persistente, dissepimentis 4-alato. Semina in loculis singulis 16, suborbiculata, curva, membranaceo-marginata, axi 2-seriatìm inserta, 1-seriatìm tamen imbricata, pendula : *embryo* obliquus, radiculâ papillæformi, brevissimâ, loculi latus spectante, cotyledonibus inter se et cum perispermo tenui carnoso conferruminatis confusisque.

Arbor procerrima, ligno duro fusco-rubente. Folia abruptè pinnata foliolis paucijugis. Paniculæ ad apicem ramorum foliis omninò abortantibus confertæ.

SPECIES.

—K. Senegalensis. *N.* (v. s. herb. Juss. Rich. Lepr. et Perrot.) [*Senegamb.*]

Swietenia Senegalensis. Des Rouss. Encycl.

Vulgò *Khaye* in Senegambiâ, *Bentigny* (teste Roussillon.)

Obs. Speciem hanc Descourtils (Fl. Med. Antill., tom. 6, p. 149, tab. 416) refert in sylvis primævis Antillarum crescere, ubì vulgò *acajou bâtard* nuncupatur (quo nomine *Curatellæ* species hùc usquè designata habebatur). Figuram adjungit plantæ nostræ non convenientem, descriptionem ex Encyclopædiâ transcribit, additis tantùm quibusdam de numero partium interdùm quinario, qualis nunquàm extat in plantâ senegalensi. Species ergò diversa. An indè confirmatur alterius Swieteniæ americanæ existentia? an hæc iconem non tantùm auctoris citati, sed et Gærtneri et Floræ mexicanæ similem (ex DC.) dehiscentiam indicantis sibi vindicat?

SOYMIDA. Tab. 11, nº. 26.

Swieteniæ sp. Roxb.

Calyx 5-phyllus foliolis imbricatis. Petala 5 patentia, breviter unguiculata. Filamenta 10 coalita in tubum brevem, cupulæformem, supernè incrassatum in lobos 10 basibus inter se cohærentes, apice libero bidentatos et inter dentes 1-antheriferos. Antheræ subinclusæ, summo dorso per breve filum adnexæ, obovatæ. Stylus brevis, prismatico-5-gonus. Stigma crassum peltatum, 5-gonum. Ovarium disco

impositum latiori, tubi fundum vestienti, 5-loculare loculis 12-ovulatis. FRUCTUS capsularis, oblongo-obovatus, 5-locularis, ab apice septifrago-5-valvis : in valvis singulis sarcocarpium lignosum tenue ab endocarpio solubile, utrumque autem ab axe amplo persistente, dissepimentis 5-gono. SEMINA ex axe summo pendula, in singulis loculis imbricata, plana, tegumento spongioso nucleum undiquè marginante, sed infrà et (longiùs) suprà expanso in alam membranaceam, apice hiliferam : *embryo* subrectus, pelliculâ absque perispermo vestitus, cotyledonibus foliaceis apice biauriculatis, radiculâ sursùm spectante, conicâ, inter cotyledonum auriculas retractâ.

ARBOR procera, ligno densissimo, fusco-rubente. FOLIA ad summos ramulos abruptè pinnata, foliolis per juga oppositis. PANICULÆ terminales et ad folia summa partìm abortantia axillares, amplæ.

SPECIES.

—S. FEBRIFUGA. *N.* (v. s. herb. Rich. ex hort. Calc.—Fructum in Semin. Mus.) [*India.*]
Swietenia febrifuga. Roxb. cor. p. 13, tab. 17.
—*S. Soymida.* Dunc.

CHUKRASIA. Tab. 11, n°. 27.

SWIETENIÆ sp. Roxb.

CALYX brevis, 5-dentatus. PETALA 5 erecta. FILAMENTA 10 coalita in tubum apice 10-crenatum, crenis 1-antheriferis. ANTHERÆ exsertæ, erectæ. STYLUS brevis, crassus, ovarium continuans. STIGMA capitatum, suprà trilobum. OVARIUM disco brevi stipatitum, oblongum, 5-loculare loculis multiovulatis. FRUCTUS.....

ARBOR procera. FOLIA pinnata, foliolis suboppositis. PANICULÆ terminales.

SPECIES.

—C. TABULARIS. *N.* † [*India.*]
Swietenia Chickrassa. Roxb. Cat. hort. Bengh.
Vulgò *Chukrasi.*

++ CEDRELEÆ.

Filamenta distincta. Hilum in extremitate seminis Embryoniferâ situm. Corollæ præfloratio convolutiva val contorto-convolutivato.

CHLOROXYLON. Tab. 12, n°. 28.

Chloroxylon. DC. — Swieteniæ. sp. Roxb.

Calyx brevis, 5-partitus. Petala 5, breviter unguiculata, patentia. Filamenta 10 patentia, subulata, apice in filum attenuata, omnia antherifera. Antheræ mobiles, medio dorso affixæ, cordatæ, apiculatæ. Discus 10-sinuatus, sinubus staminiferis, alternis quæ cum petalis alternant majoribus, ovarii basi circumpositus atque adnatus. Stylus brevis, 3-sulcus, in stigma obsoletè trilobum desinens. Ovarium disco semi-immersum, 3-sulcum, 3-loculare loculis 8-ovulatis : *ovula* subascendentia, auriculæformia (teste Roxburgh). Fructus capsularis, oblongus, 3-locularis loculis 4-spermis, ab apice 3-valvis. Semina suprà in alam extensa.

Arbores ligno denso intùs flavente. Folia abruptè pinnata, foliolis multis alternis suboppositisve, parvis, admodùm inæquilateris, minutissimè pellucido-punctatis. Paniculæ terminales, amplæ, ramosæ.

Obs. Ex Icone Roxburghii valvæ videntur medio septiferæ. An potiùs laminæ placentæ abinvicem solubiles, septiformes, utrinque seminiferæ, valvis oppositæ, ut in *Flindersiâ,* cui *Chloroxylon* insuper accedit disco sinuato staminifero, ovulis ascendentibus, seminibus suprà alatis, foliis pellucido-punctatis? Idem describit quatuor insingulis loculis alternè cum seminibus posita, oblonga, compressa, spongiosa, ipsa seminiformia corpora : nonne semina abortiva? — Præfloratio petalorum contorto-convolutiva. — Stamina cum petalis alternantia cæteris longiora et paulò altiùs inserta. — Florem unicum inveni in quo numerus partium (vel et loculorum) quaternarius.

SPECIES.

—C. SWIETENIA. *DC.* Prod. (v. s. herb. Desf. Mus.) [*India.*]
Swietenia Chloroxylon. Roxb. cor. 1, p. 46, tab. 64.

OBS. Arbor mediocris ex Roxb.; Circarum montes, patria; nomen vulgare *Billoo.* Arbor magna ex Leschenault (in herb. Mus.) qui eamdem retulit ex parte peninsulæ indicæ australi, ubì, ipso teste, Vummaray marum vulgò audit.

FLINDERSIA.

FLINDERSIA. R. Br.

CALYX brevis, 5-fidus. PETALA 5 sessilia, patentia. FILAMENTA 10 disco inserta, alterna petalis opposita sterilia, alterna antherifera. ANTHERÆ conniventes, juxta basim affixæ, ovato-cordatæ, acuminatæ. DISCUS cyathiformis, 10-plicatus, subcrenatus, ovarium laxè circumdans, extrorsùm basi petalifer paulòque altiùs staminifer. STYLUS simplex, obtusè 5-gonus. STIGMA peltatum, altè 5-lobum. OVARIUM 5-loculare, loculis 4-ovulatis : *ovula* placentæ intra loculum prominentis lateribus quasi immersa, bina utrinquè. FRUCTUS capsularis, ligneus, echinatus, septicido-5-valvis, valvis cymbiformibus, solubilibus ab axe 5-alato, ipso solubili in laminas 5 spongioso-ligneas, valvis oppositas, dissepimenta loculos bipartientia mentientes, singulas utrinquè dispermas. SEMINA e margine interiore laminæ ascendentia, imbricata; integumento basi hilifero, circa nucleum spongioso-incrassato, suprà in alam membranaceam elongato : *embryo,* absque perispermo, transversus, cotyledonibus crasso-foliaceis, radiculâ brevissimâ marginem interiorem spectante.

ARBORES gemmis novellisque gummiferis. FOLIA impari-pinnata, 1-pluri-juga, foliolis pellucido-punctatis. PANICULÆ terminales (an semper?).

OBS. Character e *F. australi* a Brown descriptâ; forsàn olìm, *Amboinensi* meliùs cognitâ, paulisper immutandus quoad seminum numerum, etc.

SPECIES.

—F. australis. *R. Br.* Gen. Rem. p. 63, tab. 1 (v. s. herb. Juss.) [*Nova-Holland.*]

—F. amboinensis. *Poir.* Encycl. [*Moluccæ.*]

Arbor radulifera. Rumph. 3, p. 201, tab. 129.

Obs. Congenerem præcedentis sagacissimè agnovit Brown; nomen specificum imposuit Poiret diagnosimque e foliis 3-7-jugis et floribus subsolitariis instituit; non rectè quidem : nàm et folia in alterâ quoque specie interdùm 3-juga, et, e descriptione Rumphianâ, flores longis amplisque dependent ex racemis, quamvis tamen tabula fructus tantùm 2-3 e pedunculis totidem infra petioli insertionem ortis neque longis pendentes depingat. Differt potiùs formâ fructûs subpentagoni, basi et apice attenuati, angustioris prætereàque duplò longioris, loculisque (indicante descriptione) 6-spermis, pedunculis 1-carpis : an et inflorescentiâ axillari?

CEDRELA. Tab. 12, nº. 29.

Cedrela. L. — Cedrus. Mill. — Jonhsonia. Adans.

Calyx brevis, 5-fidus. Petala 5 erecta, introrsùm et infernè plicâ longitudinali ad medium aucta. Genitalia stipitata. Discus stipiti adnatus, glandulosus, 5-costatus, inter costas cum plicis petalorum interpositis concretus, apice 5-lobatus. Filamenta 10 summo disco inserta, 5 petalis opposita, brevissima, sterilia aut sæpiùs omninò deficientia, 5 alterna, subulata, antherifera. Antheræ dorso supra basim affixæ, primò introrsæ, demùm versatiles, cordatæ. Stylus brevis, 5-gonus deciduus. Stigma peltatum, obsoletè 5-gonum, suprà 5-radiatum. Ovarium stipiti discoque insidens, 5-loculare loculis 8-12-ovulatis. Fructus capsularis, ab apice septifrago-5-valvis, valvis solubilibus ab axe persistente, dissepimentis 5-angulato. Semina e summo axe suspensa, infrà in alam producta, inferiora effœta : *perispermum* carnosum, parvum, integumento tenui spongioso arctè adhærens : *embryo* subrectus, cotyledonibus foliaceis, radiculâ ipsis breviori, exsertâ, superâ.

Arbores ligno odorato coloratoque. Folia abruptè vel impari-pinnata, foliolis oppositis suboppositisve, multijugis, inæquilateris. Paniculæ terminales, amplæ, pyramidatæ.

SPECIES.

* Asiaticæ. Stipes genitalium brevissimus. Loculi 8-ovulati.

—C. sinensis. *N.* † [*China.*]

—C. toona. *Roxb.* corom. 3, tab. 238. (v. s. herb. DC.) [*India.*]

Obs. Folia in Icone Roxburghiano integerrima, in speciminibus observatis remotè et breviter serrata.

—C. febrifuga. *Blüm.* (v. s. flor. ex herb. Mus. Leyd.) [*Java.*]

** Americanæ. Stipes genitalium longus. Loculi 12-ovulati.

—C. angustifolia. *DC.* Prod. (v. s. herb. Mus. Juss. DC.) [*Peruvia.* —*Nov. Hispania.*]

C. odorata. Ruiz Pav. Fl. per. 3, p. 9. (non L.)

—C. brasiliensis, *N.* Flor. Bras. (v. s. herb. St.-Hil.) [*Brasilia.*]

—C. guianensis. *N.* † [*Guiana.*]

—C. odorata. *L.* (v. s.) [*Antillæ.*]

Sp. minùs notæ.

—C. villosa. *Roxb.* Cat. [*India.*]

—C. velutina. *DC.* (v. s. fol. herb. DC.) An verè congener?

Sp. excludenda.

—C. alternifolia. *Steud.* seu *Cedrus alternifolia* Mill. Dict. foliis simplicibus ab ordine recedens, non satìs nota.

Genus Meliaceis adscriptum non satìs notum.

ODONTANDRA. Kth.

Calyx hemisphæricus, 5-dentatus. Petala 5 sessilia, ovato-acuta, æqualia : præfloratio valvata. Filamenta 10 hypogyna? brevia, infernè connata, 5 antherifera, 5 petalis opposita antheris destituta. Antheræ

ovatæ, cordatæ, biloculares, introrsùm secundùm longitudinem dehiscentes. Discus nullus. Ovarium superum, sessile, ... loculare. Stylus brevissimus. Stigma obtusum. Fructus. . . . .

Arbor inermis, ramulis alternis. Folia alterna, simplicia, integerrima, membranacea : petiolus infra apicem articulatus. Stipulæ nullæ. Paniculæ axillares, simplicissimæ, ramis brevissimis, multifloris : flores conglomerati.

Obs. Charact. ex *Kth. in Humb. Gen. Nov. et sp., suppl.* 7, *p.* 228. — Auctor genus subjungit Meliaceis; sed, ex ipsius sententiâ, affinitas ob incompletam floris fructûsque cognitionem dubia.

SPECIES.

—O. acuminata. *Kth.* (v. s. herb. Humb. Mus.) [*Nov. Grenad.*]

PARS TERTIA.

SPECIES NOVÆ AUT MINUS COGNITÆ DESCRIPTÆ.

MELIA AUSTRALASICA.

M. foliolis ovatis, breviter et abruptè acuminatis, obtusè serrato-dentatis; tubo stamineo laciniis filamentosis crinito; antheris glabris; partibus novellis vix farinoso-rufescentibus.

RAMI virentes, lenticellis discoloribus minutis sparsi, glabrati. FOLIA ferè pedalia, in vernatione tomento cinereo farinosa, seriùs glabrata, impari-bipinnata, 3-juga : *foliola* impari-pinnulata, 2-3-juga, poll. $1\frac{1}{2}$-1 longa, obliquè ovata, breviter acuminata, inæquilatera, basi integra, cæterùm obtusè serrata, petiolulata petiolulo l. 3-1 longo subdecurrente : *petioli* graciles, virentes. PANICULÆ axillares, foliis breviores. CALYX brevis, pubescens. PETALA l. 5 longa, oblonga, obovata, tenuia, extrorsùm secundùm nervum medium incrassatum pubescentia, reflexa. TUBUS STAMINEUS petalis paulò brevior, cylindricus, fasciculis 10 parallelis percursus et indè 10-striatus, introrsùm hirtellus, extrorsùm glaber et supernè laciniis crebris fimbriatus : antheræ glabræ. STYLUS glaber. OVARIUM conoïdeum, glabrum. FRUCTUS.....

Hab. in Novâ-Hollandiâ (v. s. s. in herb. Mus. ex portu Jackson et freto Dentrecasteaux.)

MELIA Candollei.

M. foliolis ovato-lanceolatis, longè et obtusè acuminatis, breviter serratis vel subintegris; tubo stamineo glabro; antheris villosis; partibus novellis farinoso-incanis.

Melia composita. DC. *Prodr.* (*non* Willd.)

Rami crassi, siccatione nigricantes, lenticellis minutis discoloribus sparsi foliorumque lapsorum notati cicatricibus trilobis; novelli pallidiores, pilulis stellulis albicantibus sparsi. Folia juniora pube stellatâ farinosa, adultiora glabrata, impari-bipinnata, sub-4-juga : *foliola* in jugis inferioribus ternata aut 5 impari-pinnulata, in superioribus simplicia, poll. 2-1 longa (lateralia scilicet terminalibus breviora), ovata, longè et obtusè acuminata, basi et acumine integerrima, cæterùm obtusè serrata, vix inæquilatera, brevissimè petiolulata petiolulis decurrentibus : *petioli* semipedales (post anthesim elongati), graciles, subangulati, pallidè virentes. Paniculæ foliis paulò breviores. Calyx farinosus, laciniis ovatis. Petala l.'4 longa, lineari-obovata, tenuia nervo medio crassiore, secundùm eumdem extrorsùm pubescentia. Tubus stamineus paulò petalis brevior, cylindricus, 20-striatus, rufescens, extrorsùm glaber, introrsùm villosus *antheræ* dorso villosæ. Stylus glaber. Stigma obscurè 5-lobum. Ovarium conoïdeum, glabrum. Fructus qualis *Meliæ azedarach*, pallidior, semper 5-locularis.

Differt a *Meliâ compositâ* W. (cum quâ confusa in Prod. DC.) ramulis novellis in sicco nigrescentibus (non lutescentibus); foliolis brevioribus angustioribusque, minùs inter se in pinnulâ eâdem inæqualibus rariùsque inæquilateris, longiùs et obtusè (nec acutè) acuminatis; paniculis multò minùs confertis et brevioribus; floribus majoribus; petalis non tomentosis; antheris dorso villosis; stigmate nec exserto nec nigro nec 5-apiculato.

Hab. in insulâ *Timor*. (v. s. s. in herb. Mus.)

NEMEDRA ELÆAGNOÏDEA.

N. foliolis 3-5 suboppositis, lanceolatis, subtùs lepidotis; paniculis axillaribus et terminalibus, densè multifloris.

Rami squamis furfuraceis ciliatis conspersi. Folia pinnata, foliolis 3-5 suboppositis, poll. 2-3 longis, $1\frac{1}{2}$ latis, lanceolatis, subintegris, subtùs sparsìm lepidotis, petiolulatis petiolulo l. 3 longo: *petioli* 1-2-pollicares, ad basim inflati. Paniculæ axillares et terminales, foliis subæquales, pedunculis compressis, lepidotis: flores globosi, conferti, brevissimè et crassè pedicellati. Calyx brevis, cupulæformis, margine obtusè 5-lobo ciliato. Petala totidem, calyce duplò longiora, extrorsùm (ut et calyx ovariumque) squamis furfuraceis conspersa. Interdùm auctus petalorum nec raròimminutus antherarum numerus.

Hab. in *Australasiâ*. (v. s. s. in herb. Mus. e Novæ Hollandiæ portu regis Georgii; in herb. Lessert. e Novâ Caledoniâ.)

APHANAMIXIS TIMORENSIS.

A. foliis abruptè vel impari-pinnatis; foliolis oppositis, 5-7-jugis, oblongis, obliquè ovato-lanceolatis, utrinque glabris; petiolis glabris; spicis longis.

Ramuli glabri, lenticellis asperi. Folia cum vel absque impari pinnata, 5-7-juga, foliolis patentibus reflexisve, admodùm inæquilateris et indè obliquè et irregulariter ovato-lanceolatis, oblongis (superioribus semipedalibus pedalibusve, poll. $2-1\frac{1}{2}$ latis; inferioribus gradatim brevioribus), breviter et obtusè acuminatis, utrinque glabris, subtùs reticulato-nervosis, nervo medio foliolum in partes duas dividente valdè inæquales, superiorem latiorem longiùs decurrentem semi-ovatam, inferiorem potiùs semi-lanceolatam;

petiolulatis petiolulo l. 6-3 longo : *petioli* 2-1-pedales, glabri. Inflorescentiæ spiciformes (non spicatæ, cum in fructiferis nec perfectè maturis tantùm suppetentibus non regulariter a basi ad apicem fructus gradatìm maturescant) : *pedunculi* semi-sesqui-pedales, crassi, glabri, polycarpi. Calyx ad basim fructûs persistens 5-phyllus, foliolis squamoïdeis, semicircularibus, imbricatis, brevibus. Fructus basi in stipitem attenuatus, junior obovatus, maturus ovato-trigonus, pruni circiter magnitudine, glaber, rugosus; sarcocarpio coriaceo, modicè crasso; endocarpio chartaceo, tenui, laminis introflexis geminatisque dissepimenta tria constituente cum totidem suturis alternantia; ideò loculicido-3-valvis, 3-locularis loculis 1-spermis. Semen junius pendulum arilloque incompleto vestitum ventrem et apicem tantùm involvente; maturius eodem sacciformi pulposo totum vestitum et ventre angulo loculi interno adnatum, obovatum, dorso convexum, lateribus planiusculum, sulco longitudinali (commissurâ cotyledonum?) in partes duas collaterales divisum : *integumentum* sub arillo duplex, utrumque tenue; exterius chartaceum rubens, interius membranaceum cum priore maximâ parte connatum confusumque, ad apicem areolâ circulari notatum quæ radiculæ respondet, ad basim (chalazam) incrassatum. Embryo perispermo destitutus, ab integumento ægrè solubilis, carnosus, cotyledonibus omninò conferruminatis : *radicula* brevis inter ipsas retracta et occulta, supera : *plumula* conica.

Hab. in insulâ *Timor*. (v. s. s. in herb. Mus.).

APHANAMIXIS Perrotetiana.

A. foliis impari-pinnatis; foliolis oppositis, multijugis, oblongis, obliquè ovatis, subtùs discoloribus et hispidulis; petiolis velutinis; spicis longissimis, pendulis.

Arbor maxima, ramosissima ramis patentibus. Folia impari-pinnata, multijuga, foliolis biseriatìm imbricatis, admodùm inæqui-

lateris et indè obliquè ovatis, oblongis (poll. 9 longis et 3-latis), breviter et obtusiusculè acuminatis, suprà glabris, subtùs pube brevi secundùm nervos densiori hispidulis, discoloribus, copiâ punctulorum prominulorum scabriusculis, nervo medio admodùm prominente foliolumque in partes duas dividente valdè inæquales (superiorem longiorem latioremque), breviter et crassè petiolulatis : *petioli* longissimi, teretes, pube brevi et densâ velutini, lenticellis glanduliformibus raris sparsi. Inflorescentia axillaris, spiciformis (non spicata, quippè in quâ non a basi ad apicem regularis florum evolutio) : *pedunculi* 1-2-pedales, penduli, angulati, pube brevissimâ spurcè velutini vel demùm glabrati; pedicelli brevissimi, lati, compressi. Calyx 5-phyllus, foliolis suborbicularibus, extrorsùm sericeo-pubentibus, bracteolis duabus brevissimis quæ cum foliolis exterioribus (quæ ipsæ bracteæ) iisdemque paulò brevioribus alternant stipatus, persistens. Petala 3, calyce triplo longiora, basi in unguem latum cum tubo stamineo diù cohærentem angustata, cæterùm suborbiculata, extrorsùm puberula, coriacea : præfloratio convolutiva. Tubus stamineus primò globosus, seriùs breviter campanulatus, glaber, coriaceus, apice latè 6-dentatus, introrsùm 6-antherifer : *antheræ* magnæ, cordatæ, foveolam ad basim dorsi pro filamenti insertione præbentes, glabræ, introrsùm rimâ duplici longitudinali dehiscentes (in floribus observatis pollen ipsaque cavitas loculorum deficiebant). Stigma magnum, truncato-pyramidatum, sulcis 3 latis in lobos 3 longitrorsùm divisum, glabrum, nigrescens. Ovarium brevissimum, depressum, velutino-hispidum, 3-loculare loculis biovulatis : *ovula* superposita, ex eodem ferè puncto anguli interni pendula. Fructus.....

Hab. in ins. Philippinis. (v. s. s. in herb. Mus. et Perrotet; ab ipso lecta non procul ab urbe *Samboagan* in ins. *Magindano* in depressis argillosisque ad basim montium, Decembri florifera.)

HARTIGHSEA Fraserana.

H. foliis abruptè pinnatis; foliolis suboppositis, 2-4-jugis, lanceolatis, obtusiusculis, nervis secundariis subtùs ad basim in perulam dilatatis; paniculis racemiformibus, laxifloris; petalis 4 cum tubo stamineo infernè coalitis; ovario 3-loculari.

Rami novelli pube brevissimâ quasi pulverulenti, adulti glabrati. Folia abruptè pinnata, 2-4-juga, foliolis suboppositis, lanceolatis, poll. 2-3 longis et 1 latis (infimis brevioribus), obtusiusculis, glaberrimis, suprà lucidis, subtùs reticulato-nervosis origine nervorum secundariorum sæpè mirè inflatâ et perulam intùs hispidam constituente, subsessilibus : *petioli* poll. 5-3 longi, subpatuli, pulverulenti glabrative, suprà complanati. Paniculæ racemiformes, foliis duplò breviores, pedunculis pube brevissimâ tectis, communibus gracilibus a basi ramosis, partialibus patentibus bracteatis; pedicelli brevissimi, glabelli. Calyx l. 1 longus, cupulæformis, breviter et obtusè 4-lobus, pilulis raris extrorsùm puberulus. Petala 4 calyce triplo longiora, lineari-lanceolata, dimidiâ parte inferiori arctè cum tubo connata, superiori libera et reflexa, vix puberula. Tubus stamineus similiter puberulus, apice 8-fidus laciniis semi-ellipticis, introrsùm inter ipsas 8-antherifer, antheris cordato-ovatis. Tubulus ovarium æquans, striatus, crenulatus, glaber (nisi introrsùm ad basim ubi pili rari molles). Stylus tubo subæqualis, glaber. Stigma ipso latius, discolor, discoïdeum, suprà umbilicatum. Ovarium conoïdeum, hirsutum, 3-loculare loculis infra tubi staminei insertionem descendentibus, 2-ovulatis : *ovula* ex anguli interni basi ascendentia. Fructus....... Diversæ floris partes massulis resinosis extùs conspicuis granulosis vermicularibusve farctæ. Partium numerus rariùs quinarius.

Hab. in Novâ Hollandiâ orientali. (v. s. s. in herb. Mus. communicatam a Cl. Fraser retulerat Cl. Gaudichaud.)

HARTIGHSEA SPECTABILIS.

H. foliis impari-pinnatis; foliolis obovatis, subacutis, undulatis, scabriusculis; paniculis ramosis, multi-grandi-floris; petalis 5 basi inter se coalitis; fructu 3-loculari.

Trichilia spectabilis. FORST.— T. cauliflora. BANKS *mss.*

« CAULIS arborescens, 10-orgyalis, cortice rimoso cinereo : rami « patentes, lignosi, cinerei, nodosi, summi juniores foliati. FOLIA « sparsa, impari-pinnata, foliolis obovatis, subacutis, undulatis, « patentibus, scabriusculis, palmaribus, petiolulatis, petiolulo « semipollicari : *petioli* in apice singulorum ramorum circiter sex, « teretes, læves, spithamei pedalesve. RACEMI compositi, cylindrici, « formosi : *pedunculi communes* horizontali-ascendentes, sæpè de- « pendentes, numerosi, flexuosi, e ramorum parte inferiore infra « folia prodeuntes, pedales; *partiales* sparsi, distantes, teretes, « sesquipollicares, inferiores in pedicellos 5, superiores in 2 divisi, « summi 1-flori; *pedicelli* teretes, breves : *bracteæ* brevissimæ, « ovatæ, acutæ, ad basim pedunculorum partialium solitariæ, « pedicellorum verò ternæ vel quaternæ minutæ. FLORES pollicares, « albi. CALYX 5-partitus, foliolis subrotundis, brevibus, concavis, « margine subciliatis, persistens. COROLLA monopetala, 5-partita, « tubo brevissimo; laciniis linearibus, longis horizontalibus, re- « flexis, albis. NECTARIUM duplex : *exterius* longitudine ferè petalorum « cylindricum, amplum, erectum, margine crenatum : *interius* « tubulosum, exteriore dimidio brevius arctèque adhærens, ful- « vum, integrum. STAMINA : *filamenta* 10 brevissima, fauci nectarii « exterioris inserta : antheræ oblongæ, erectæ, flavæ. OVARIUM coni- « cum, brevissimum. STYLUS filiformis, longitudine nectarii exte- « rioris. STIGMA capitato-depressum. CAPSULA obovata, carnosa,

« obtusa, obsoletè 3-gona, 3-locularis, 3-valvis, loculis 2-spermis; « magnitudine circiter ficum æmulat. SEMINA arillata seu inclusa « membranâ crassâ candidâ; virescentia (immatura forsàn), obtusè « 3-gona, compressa, apice truncata, bivalvia.

« Hab. in nemoribus Novæ Zelandiæ, ubì Certhiæ aliæque aves « mellisugæ e floribus ipsius nectar hauriunt. »

Descriptio tota e Forster mssis desumpta.

HARTIGHSEA LESSERTIANA.

H. foliolis 4-6 alternis vel oppositis, lanceolato-ellipticis, brevissimè et obtusè acuminatis; paniculis laxè paucifloris; petalis 5 cum tubo stamineo infernè coalitis; ovario 4-loculari.

RAMI teretes, glâbri, novelli (sicut et petioli) virescentes. FOLIA pinnata, foliolis 4-6 alternis aut per juga oppositis, poll. 3 longis et $1\frac{1}{2}$ latis, lanceolato-ellipticis, brevissimè et obtusè acuminatis, glaberrimis, petiolulatis petiolulo semi-pollicari : *petioli* poll. 4-5 longi, glaberrimi, sub foliorum insertione canaliculati. PANICULÆ extraaxillares, poll. 3 longæ; pedunculi versùs apicem tantùm et laxè floriferi, graciles, partiales, bracteati; pedicelli discolores, l. $1\frac{1}{2}$ longi. CALYX brevis, cupulæformis, subinteger aut irregulariter crenulatus, glaber. PETALA 5 glabra, in alabastro crassa et arctè interse coalita. TUBUS STAMINEUS cylindricus, 10-dentatus dentibus interdùm bidentulatis, glaberrimus. TUBULUS ovario longior, cylindricus, crenulatus, extrorsùm glaber, introrsùm hispidulus, ciliatus. STYLUS tubum paululùm superans, glaberrimus. STIGMA summo stylo incrassato impositum. OVARIUM conicum, hispidulum, 4-loculare, loculis 1-ovulatis : *ovula* ex angulo interno infra apicem suspensa. FRUCTUS.....

Hab. in Novâ Hollandiâ. (v. s. s. in herb. Ventenat Mus. Lessert.)

HARTIGHSEA Forsteri.

H. allium redolens, foliis absque vel cum impari minore pinnatis; foliolis 7-9-jugis, ovato-lanceolatis, admodùm inæquilateris; paniculis ramosis multi-parvi-floris; petalis sæpiùs 4 basi cum tubo stamineo connatis; ovario 3-loculari.

Trichilia alliacea. Forst. (non Spreng.)

« Arbor tota odore allii fœtidissimo pollens, 5-orgyalis, erecta, « ramosa : rami teretes, ascendentes, patentes, cicatricibus et casu « foliorum notati. Folia pinnata absque impari (vel interdùm cum « impari minore, modò persistente, modò deciduo), 8-juga, folio- « lis ovato-lanceolatis, acuminatis, admodùm inæquilateris latere « superiore longiùs decurrente, lævibus, patentissimis, palmaribus, « saturatè viridibus, petiolulatis, petiolulo horizontali, semitereti, « poll. $1\frac{1}{4}$ longo : *petioli* basi teretes, superiores suprà subcarinati, « nigricantes, basi dorso carinâ et laterum maculis tomentosis, peda- « les. Racemus axillaris, supradecompositus, diffusus, semipedalis : « *pedunculus communis* basi teretiusculus, supernè angulosus, cras- « sitie pennæ corvinæ; *partiales* subangulati, horizontali-patentes, « sparsi, pubescentes, palmares sesquipollicaresque : *racemuli* pau- « ciflori in parte inferiore seu versùs basim pedunculorum partia- « lium : *pedicelli* 1-flori brevissimi in racemulis et versùs apicem « pedunculorum partialium : *bracteæ* minutissimæ ad bases pedi- « cellorum. Flores sparsi, sordidè flavicantes, poll. $1\frac{1}{4}$ longi. Calyx « brevissimus, obsoletè 4-5-fidus, villosus. Corolla monopetala, « tubulosa, profundè 4-5-partita, laciniis linearibus reflexis. Nec- « tarium duplex : *exterius* longitudine corollæ, cylindricum, tubu- « losum, pubescens, crenulatum, petalis adnatum : *interius* priore « dimidio minus, tubulosum, e basi prioris ortum, ovarium et

« styli partem vaginans, crenulatum, villosum. STAMINA : *filamenta* « 8-10 in ore nectarii exterioris brevissima : *antheræ* oblongæ, « minutæ. OVARIUM superum, minutum. STYLUS longitudine floris, « filiformis, basi pilosus. STIGMA capitatum, excavato-depressum os « nectarii implens. FRUCTUS..... »

Hab. in nemoribus ins. Namoka (v. s. s. in herb. Mus. e plantis Forsterianis).

OBS. Descriptio tota desumpta e Forster. mss., cui adde præflorationem corollæ valvatam, crenulas tubi staminei (nect. exter.) setigeras, antheras sæpiùs tantùm 6-7, ovarium 3-loculare, villosum.

EPICHARIS SPECIOSA.

E. foliis impari-pinnatis, 7-8-jugis; foliolis oblongis, obliquè obovatis ovatisve, breviter et obtusè acuminatis; racemis brevibus; calyce campanulato.

RAMULI glabri, lenticellis crebris discoloribus tuberculati. FOLIA impari-pinnata, foliolis suboppositis, 7-8-jugis, oblongis, apice breviter et obtusè acuminatis, præter terminalem æquilateram et lanceolato-obovatam inæquilateris et obliquè ovatis obovatisve, superioribus poll. 4-6 longis, 1 $\frac{1}{2}$ latis, inferioribus gradatìm brevioribus, omnibus glaberrimis, subtùs reticulo nervorum prominulorum notatis, petiolulatis, antè evolutionem (quæ serie duplici a basi folii ad apicem absolvitur) subtùs puberulis acumine in spatulam elongato equitativisque : *petioli* 1-2-pedales, glabri. INFLORESCENTIA axillaris, racemiformis (non racemosa, quippè in quâ flores medii priùs inferioribus evolvantur), racemis folio multò brevioribus, solitariis geminatisve, floribus approximatis : *pedunculus* poll. 1-4 longus, puberulus vel seriùs glabratus; pedicelli l. 15 longi, pube densâ velutini, bracteolati. CALYX campanulatus, l. 2-3 longus, 4-fidus, extrorsùm sericeo-velutinus. PETALA ipso duplo longiora, reflexa, subspatulata, marginibus undulata, supernè et extrorsùm sericeo-

pubentia : præfloratio contorto-convolutiva. TUBUS STAMINEUS petalis vix brevior, sub-8-gonus, glaber vel interdùm secùs lineas cum petalis alternantes puberulus, apice 8-crenatus, crenis emarginatis, patulis. TUBULUS campanulatus, glaber, 8-crenulatus, ovarium ipso brevius includens. STYLUS basi villosus, cæterùm glaber. OVARIUM ovoïdeum, densè villosum : *ovula* discoïdea, superposita, superius ascendens, inferius pendulum. FRUCTUS.....

Hab. in insulâ *Timor* (v. s. s. herb. Mus.). — Specimina quædam racemis floribusque longioribus : an distinguenda?

EPICHARIS KUNTHIANA.

E. foliis impari-pinnatis, 2-jugis; foliolis ovatis, basi acutis, apice breviter et obtusè acuminatis; paniculis pauci-laxifloris; calyce brevissimo.

RAMULI cortice vestiti griseo lenticellis discoloribus orbicularibus sparso. FOLIA impari-pinnata, foliolis 2-jugis; terminali poll. 4-6 longo, 2-3 lato, obovato; lateralibus brevioribus et breviùs pedicellatis, ovatis; omnibus basi acutis, apice breviter et acutè acuminatis, glaberrimis, membranaceis : *petioli* poll. 3 longi, suprà caniculato-complanati, virentes, glabri. PANICULÆ axillares, petiolis subæquales, laxi-pauci-floræ, pedunculis secundariis patentibus longiusculis, pedicellis lineam et ultrà longis. CALYX brevissimus, 4-fidus, ciliolulatus. PETALA calyce multò longiora, l. 5 longa, lineari-elliptica, acutiuscula, pilis raris extrorsùm sparsa. TUBUS STAMINEUS petalis vix brevior, subcampanulatus, glaber, antheris parvis. TUBULUS cupulæformis, brevis et latus, extrorsùm glaber, introrsùm hirtus. STYLUS tubo subæqualis, basi villosiusculus. OVARIUM breve, villosum : ovula ex angulo interno pendula, collateralia, insertionibus inter se adhærentia. FRUCTUS.....

An reverâ hujus generis cum quo convenit partium numero, rece-

dens paulisper inflorescentiâ, calyce brevissimo, ovulorum situ mutuo?

Hab. in Novâ Guineâ (v. s. s. in herb. Kunth, a Cl. Lesson lectum).

CABRALEA POLYTRICHA.

C. ramis velutinis; foliolis 8-jugis, lanceolato-obovatis, brevissimè acuminatis, suprà scabris et parcè puberulis, subtùs velutinis; petalis obovatis; numero partium in flore sæpè 4^{ario}.

Rami teretes, pube brevi densâque velutini juniores, seriùs glabrati. Folia 8-juga, foliolis lanceolato-obovatis, brevissimè acuminatis, poll. 2-3 longis, l. 10 latis (inferioribus brevioribus potiùsque obliquè ovatis), suprà scabris et parcè puberulis, subtùs pube brevi densâ velutinis et discoloribus: *petioli* ferè pedales, similiter velutini. Paniculæ axillares : *pedunculi* communes foliis ferè duplò breviores, densè breviterque pubescentes, erecti; secundarii remotè alterni, breves, mox ramosi et multiflori : *bracteæ* ad basim pedunculorum partialium minutæ acutæ : *flores* terminales in inflorescentiâ tùm communi tùm partiali quâlibet citiùs lateralibus evoluti : interdùm, foliorum in ramulis abortu et inflorescentiarum persistentiâ, paniculæ quasi terminales et longè ramosæ. Calyx 4-5-phyllus foliolis ovatis, breviter hispidis. Petala 4-5, l. 4 longa, obovata, glabra, striata, in præfloratione contorto-convolutivâ per nervum medium tubo stamineo supernè adhærentia, mox soluta. Tubulus crassiusculus, 4-5-gono-campanulatus, extrorsùm glaber, introrsùm pilis retrorsis hispidus, ovarium superans. Stylus 4-5-striatus. Stigma discoïdeo-4-5-lobum. Ovarium conoïdeum, densè villosum : *ovula* superposita superius ascendens, inferius appensum. Fructus... Pleræque floris partes massulis resinosis linearibus striatæ.

Obs. Species duabus sequentibus multùm accedens. An tres ejusdem varietates?

Hab. in Brasiliâ ~~austr~~Boreali (v. s. s. herb. Mus.).

CABRALEA AFFINIS.

C. ramis velutinis; foliolis 7-8-jugis, obliquè lanceolatis, suprà scabriusculis puberulisque, subtùs velutinis; petalis lineari-spatulatis; numero partium in flore semper 5ario.

Rami teretes pube brevi densâ velutini. Folia 7-8-juga, foliolis obliquè lanceolatis, poll. $1\frac{1}{2}$ longis, $\frac{1}{2}$ latis, a jugis superioribus ad inferiora gradatìm abbreviatis, suprà scabriusculis puberulisque, subtùs pube densâ brevi velutinis et discoloribus : *petioli* vix semipedales similiter velutini. Paniculæ axillares : *pedunculi* communes foliis paulò breviores, velutino-pubentes; partiales breves, singuli bracteolati : flores terminales citiùs lateralibus evoluti. Calyx brevis, 5-phyllus foliolis cordatis, hispidis. Petala l. 3 longa, lineari-subspatulata, glabra, in præfloratione convolutivâ per nervum medium tubo stamineo supernè cohærentia. Tubulus carnosus, subcampanulatus, 5-crenatus crenis emarginatis, extrorsùm glaber, introrsùm hirsutus. Ovarium superans. Fructus.....

Hab. in Brasiliâ australi (v. s. s. herb. Mus.).

CABRALEA OLIGOTRICHA.

C. ramis lævissimis; foliolis 6-jugis, obliquè lanceolatis, suprà glabris et lucidis, subtùs velutinis; petalis obovatis numero partium in flore semper 5ario.

Rami teretes, epidermide glabrâ lævi vestiti. Folia 6-juga, foliolis præcedentis speciei conformibus paulò tamen longioribus, supra glabris et lucidis : *petioli* vix semipedales puberuli vel glabrati. Paniculæ ut in præcedente, pedunculis tamen ad apicem tantùm puberulis, cæterùm glabris. Flores ab eâdem differunt petalis obovatis, tubulo breviore vix ovarium æquante. Notanda quoque forma

crenarum tubi staminei quæ bipartita laciniis divergentibus, ita ut lacinia qualibet cum crenæ vicinæ laciniâ conniveat sicque crenam efformet semi-ovatam cui anthera opponitur (quod primo aspectu characteri generico repugnat).

Hab. in Brasiliâ australi (v. s. s. herb. Mus.).

CABRALEA GLABERRIMA.

C. ramis glaberrimis; foliolis 10-jugis, oblongis, subfalcatis, glabris; petalis lineari-ellipticis; numero partium in flore semper 5^{ario}.

Folia circiter 10-juga, foliolis oblongis, poll. 5 longis (inferioribus multò brevioribus), 1 latis, insigniter inæquilateris et quibusdam etiàm falciformibus, breviter acuminatis, basi in petiolulum rugosum sensìm attenuatis, glabris, suprà nitidis, subtùs prominulo-nervosis et ad axillas nervorum secundariorum squamuloso-barbatis: *petioli* pedales et ultrà, teretes, glabri. Paniculæ plures ramulo abbreviato axillari insidentes et indè quasi fasciculatæ : *pedunculi* communes petiolis paulò breviores, graciles, virgati, glabri; secundarii patentes, racemosìm floriferi, bracteati; pedicelli breves bracteolati. Calyx brevis, 5-phyllus, foliolis semi-orbicularibus, ciliolulatis. Petala l. 3-4 longa, lineari-elliptica, glabra, apice revoluta : præfloratio convolutiva. Tubulus carnosus, campanulatus, extrorsùm glaber, introrsùm densè hirsutus, ovarium superans. Ovarium conoïdeum, hirtellum : *ovula* superposita, superius ascendens, inferius pendulum. Fructus.....

Hab. in insulâ brasilianâ Sanctæ Catharinæ (v. s. s. herb. Mus. a Cl. d'Urville relatam).

DIDYMOCHETON Leschenaultianum.

D. foliis impari-pinnatis, 2-1-jugis; foliolis oblongis, obovatis, breviter acuminatis, subtùs pubescentibus; glomerulis florum paniculatis, paniculâ axillari contractâ.

Ramuli puberuli, novellis tomentosis. Folia impari-pinnata, 2-1-juga, foliolis poll. 3 longis, 1-1½ latis; supremo basi lanceolatâ in petiolulum ferè semi-pollicarem angustato; lateralibus subsessilibus, obovatis, inæquilateris; infimis ovatis, duplò brevioribus; omnibus breviter acuminatis, subtùs superficie totâ et suprà secundùm nervum medium tantùm pubescentibus: *petioli* bipollicares, rufo-tomentosi. Paniculæ axillares, petiolis subæquales, contractæ, pedunculo communi tomentello infernè simplici, secundariis brevibus 3-floris, floribus sessilibus glomerulatis. Calyx foliolis suborbicularibus, extrorsùm pubescentibus, ciliatis, bracteâ ferè conformi stipatus. Petala l. 3 longa, linearia, acuta, extrorsùm sericeo-villosa, præfloratione subvalvatâ. Tubus stamineus extrorsùm sericeo-villosus, introrsùm pubescens. Tubulus membranaceus extrorsùm glaber, introrsùm pilis retrorsis villosus. Stylus tubo subæqualis, præter basim glaber et rubellus. Stigma discolor, teres, suprà umbilicatum umbilico 5-radiato. Ovarium sericeo-villosum, parvum. Fructus.....

Sp. distincta a *D. nutante*, inter alia, petalis minùs altè coalitis, tubulo introrsùm villoso.

Hab. in ins. Java (v. s. s. herb. Juss. a Cl. Leschenault lectum et datum).

DIDYMOCHETON Gaudichaudianum.

D. foliis longissimis, impari-pinnatis, 8-jugis; foliolis oblongis, obliquè ovatis, acutissimè acuminatis, membranaceis, glabris; glomerulis florum spicatis, spicâ longissimâ.

Arbor admodùm recta. Folia in summis ramis impari-pinnata, foliolis suboppositis, 8-jugis, oblongis; supremo lanceolato, basi in petiolulum ferè pollicarem angustato; cæteris obliquè ovatis, acutissimè acuminatis, inæquilateris, subsessilibus; superioribus semi-pedalibus et ultrà, poll. 2 latis; infimis brevioribus; omnibus membranaceis, glaberrimis præter nervum medium suprà lineâ tomentosâ insignem : *petioli* ferè 3-pedales, a basi ad apicem gradatìm attenuati, inter foliorum insertiones sulcati, suprà pube brevissimâ rufulâ inspersi, cæterùm glabri, virentes, lenticellis quibusdam nigrescentibus sparsi. Flores in pedunculis petiolo subæqualibus, concoloribus, puberulis vel glabratis, spicatìm glomerulati, glomerulis sparsis, 2-3-floris, bracteatis, spicâ simplici vel a basi ramosâ et indè duplici, pendulâ. Calyx foliolis suborbicularibus, introrsùm concavis, extrorsùm pube sericeâ rufescentibus. Petala semipollicaria, linearia, acuta, extrorsùm pube sericeâ albida, præfloratione subvalvatâ. Tubus stamineus apice subinflatus, infernè utrinquè villosus, supernè glaber, fasciculis 10 qui totidem antheris lineari-ellipsoïdeis respondent percursus. Tubulus membranaceus, pellucidus. Stylus glaber. Stigma discoïdeum, in ambitu sub-5-lobum, nigrescens. Ovarium parvum, pilis rufescentibus adpressis longissimis villosum, pericarpio tenuissimo. Fructus.....

Hab. in ins. Rawak (v. s. s. herb. Mus. — Januarío ramulos floriferos nondùm planè explicitos legerat Cl. Gaudichaud, qui speciem nobis benignè communicavit).

EKEBERGIA Senegalensis.

E. foliis impari-pinnatis, 4-jugis; foliolis obliquè lanceolato-ovatis, breviter et acutissimè acuminatis; petalis calyce multò longioribus; ovario glabro, basi cum disco concreto, 5-loculari.

Arbor 30-40-pedalis, ligno fragili, ramis crassis, cortice vestitis rugoso, in novellis puberulo, lenticellis crebris notato, in adultis glabrato foliorumque lapsorum cicatricibus latis trilobis sparso. Folia ad summos ramulos conferta, impari-pinnata, 4-juga, foliolis poll. 2-3 longis, 1 et ampliùs latis, obliquè lanceolato-ovatis, breviter et acutissimè acuminatis, inæquilateris, utrinquè glaberrimis, subtùs reticulato-venosis : *Petioli* circiter poll. 8 longi, sub insertionibus foliorum angulati, infernè subtrigoni pubeque brevissimâ quasi pulverulenti. Paniculæ axillares, foliis duplò triplòve breviores : pedunculi angulati, mox ramosi; secundarii tertiariique dichotomè floriferi, flore in dichotomiâ citiùs evoluto, bracteolati, omnes puberuli : *Pedicelli* lineam longi. Flores alii steriles, alii fertiles. Calyx brevis, 5-fidus, puberulus, demùm circumscissus deciduusque. Petala calyce multò longiora, l. 2 longa, obliquè lineari-ovata, puberula : præfloratio convolutiva. Tubus stamineus petalis duplò brevior, supernè tomentosus : antheræ nunc (in flore fertili) polline vacuæ et lineares, nunc (in sterili) curvatæ polline fetæ globuloso. Pistillum in flore masculo tubo inclusum, in fertili supra eumdem exsertus, lageniforme. Stylus columnæformis, stigmate paulò crassiori 5-sulco 5-crenato coronatus. Ovarium hemisphæricum, ad basim disco cinctum annulari, cum ipso concrescente, pilis mollibus erectis ciliato, glabrum, 5-loculare loculis petalis oppositis, dissepimentis ad apicem liberis. Fructus cerasi vulgaris magnitudine, globosus, rubens, tuberculis quibusdam orbicularibus

scaber, cæterùm lævis, sarcocarpii carne subgranulosâ, endocarpio osseo, abortu 4-2-3-locularis. Semina (quæ nondùm perfectè matura suppetebant) ovata, brunnea, lævia, infra apicem suspensa: *Embryo* radiculâ brevi, superâ, cotyledonibus juxtapositis, crassiusculis, seriùs (ut conjicere licet) totam seminis implens cavitatem, quæ adhùc liquido pulposo partìm tumebat.

Hab. in Senegambiâ (v. s. s. herb. Juss. communicatam a Cl. Leprieur, lectamque in sylvis siccis regni Cayor inque peninsulâ Capitis Viridis).

HÆNEA TRIFOLIA.

H. foliis trifoliolatis, foliolis ovatis obovatisve subemarginatis; disco ovarium villosum ferè immersum cingente.

Rami lenticellis crebris tuberculati, adulti glabrati, novelli velutino-puberuli. Folia trifoliata, foliolis ovatis vel obovatis; supremo poll. 2-3 longo, l. 8-15 lato; lateralibus minoribus; omnibus apice subemarginatis, coriaceis, glaberrimis, suprà lucidis, subtùs discoloribus et reticulato-venosis, petiolulatis, petiolulis apice inflatis, foliolorum lateralium l. 2 longis, supremorum multò longioribus: *Petioli* circiter semipollicares, suprà plani, subtùs convexi, puberuli vel demùm glabrati. Paniculæ sub gemmâ terminali breviusculæ, pedunculis velutino-puberulis, infernè simplicibus, mox corymbosìm ramosis, demùm trichotomè floriferis, ad divisiones bracteolatis; pedicellis brevissimis. Calyx brevissimus, 5-fidus; laciniis acutiusculis, puberulus. Petala calyce multò longiora, l. 1 longa, ovata, acutiuscula, extrorsùm puberula. Filamenta 10 petalis breviora, alterna iis opposita breviora, complanata, utrinquè villosa infernè in tubum coalita, apicè brevissimè bifida et in fissurâ antheriferâ, antherâ acuminatâ dorso villosâ. Ovarium disco annulari glabro circumposito ferè immersum, villosum. Fructus....

An eadem cum *Trichiliâ venosâ* Spreng. quæ cum eâ, e descrip-

tione, convenit foliolis ternatis, obtusis, parallelè venosis, subtùs glabris discoloribus, sed differt floribus paniculatis glabris ?

Hab. in Indiâ orientali (v. s. s. herb. Mus. a Sonnerat relatam).

HEYNEA AFFINIS.

H. foliis impari-pinnatis, 3-jugis, foliolis obliquè ovatis, obtusè acuminatis; disco glabro ovarium concretum includente et quasi coronante.

ARBOR procera. RAMULI epidermide glaberrimâ, lævi, fusco-rubente, lenticellis discoloribus sparsâ vestiti. FOLIA impari-pinnata, 3-juga, foliolis obliquè ovatis, obtusiusculè acuminatis, poll. 2-3 longis, 1-1½ latis, glaberrimis, subtùs discoloribus, reticulato-venosis, petiolulatis petiolulo l. 6-3 longo : *Petioli* poll. 8-4 longi, virgati, basi inflati et transversè rugosi, infernè nudi et supernè foliiferi, glaberrimi. PEDUNCULI axillares, petiolis crassitie et longitudine subæquales, subancipites, glabri, infernè nudi, supernè trichotomè ramosi, post dichotomias plures, singulas bibracteatas, tandem cymosè floriferi : *Pedicelli* brevissimi vel subnulli, hirtelli (ut et supremi pedunculorum rami). CALYX brevis, 5-fidus, laciniis apice callosis, hirtellus. PETALA l. 2 longa, lineari-obovata, acutiuscula, trinervia nervo medio longiori ad apicem incrassato, parcè puberula. FILAMENTA 10 corollâ breviora, alterna petalis opposita breviora, complanata, utrinquè villosa, usquè medium infernè coalita, apice bifida et in fissurâ antherifera, antherâ didymo-rotundâ glabrâ. DISCUS glandulosus annularis cum ovario cui circumponitur connatus, basi tubum stamineum petalaque inserta gerens. OVARIUM disco inclusum et quasi coronatum. FRUCTUS....

Affinis *Heyneæ trijugæ* a quâ differt ramulis glaberrimis (non puberulis), foliis duplò minoribus ut et foliolis petiolulo tamen et acumine æquali, petalis longioribus latioribusque, pubescentiâ tubi diversâ, antheris glabris....

Hab. in Indiâ orientali (v. s. s. herb. Mus. lectam a Cl. Leschenault in montibus Nellygerry ubì, ipso teste, vulgò nomine Houli-Mouket ab incolis salutatur).

TRICHILIA Prieureana.

T. foliis impari-pinnatis, bijugis; foliolis lanceolato-ovatis, breviter et obtusè acuminatis, glaberrimis; paniculis brevibus; numero partium in flore quinario; filamentis omninò in tubum coalitis.

Arbor 30-pedalis. Ramuli cortice glabro vestiti, in adultis copiâ lenticellarum minutarum scabriusculo, in novellis lævi et viridescente. Folia impari-pinnata, bijuga, foliolis lanceolato-ovatis, breviter et obtusè acuminatis; supremo oblongo, poll. 3-6 longo, 1-1½ lato; infimis ferè duplò brevioribus potiùsque ovatis; superioribus ut situ sic et formâ et magnitudine intermediis; omnibus glaberrimis, suprà lævibus, subtùs venosis, subcoriaceis, basi in brevem petiolulum angustatis : *Petioli* poll. 3-6 circiter longi, supernè complanati et suprà canaliculati, glaberrimi. Paniculæ axillares, plerùmque geminatæ (vel potiùs a basi ramosæ), vix semipollicares, pedunculis bracteatis puberulis, secundariis bracteolatis brevissimis 3-floris; floribus subsessilibus, centrali lateralibus citiùs evoluto. Calyx 5-phyllus, foliolis ovato-acutiusculis, quinconciatis, puberulis. Petala calyce triplò vel quadruplò longiora, l. 2 longa, lineari-obovata, medio reflexa, pube brevissimâ, introrsùm densiori, utrinquè albicantia : præfloratio convolutiva. Tubus stamineus paulò petalis brevior, pilis brevissimis extrorsùm, longioribus introrsùm, sparsus, crassiusculus, apice 5-crenatus; crenis emarginatis, 10-antherifer, antheris conniventibus, quinque quæ cum crenis alternant inferioribus iisdemque petalis oppositis, omnibus introrsis, brevibus. Stylus tubo subæqualis, prismatico-3-gonus,

glaber. Stigma trilobum lobis basi inflatis et inter se connatis, apice distinctis et acuminatis, glabris. Ovarium in floribus quorumdam speciminum constanter abortivum discumque depressum simulans; in aliorum (quibus stamina polline effeta) fertile, globosum, glabrum, carnosum carne granulosâ, 3-loculare. Fructus.....

Hab. in Senegambiâ (v. s. s. herb. Perrotet et Leprieur, a priore lectam ad ripas fluminis Casamance in arenosis conchosis, Aprili floriferam; herb. Gay, a Cl. Dollinger lectam in regno Thin prope fl. Fasena, eamdem foliis paulò minoribus ut et floribus qui constanter steriles).

TRICHILIA discolor.

T. foliis impari-pinnatis; foliolis alternis vel oppositis et 4-5-jugis; ovatis, mucronulatis, glaberrimis, subtùs discoloribus; paniculis racemiformibus, paucifloris; numero partium in flore quinario; filamentis in tubum omninò coalitis.

Ramuli novelli angulati læves. Folia impari-pinnata, foliolis nonnunquàm alternis, sæpiùs 4-5-jugis, ovatis, l. circiter 15 longis et 8 latis, basi in petiolulum angustatis, apice mucronulatis, glaberrimis, subtùs discoloribus et reticulato-venosis : *Petioli* poll. 5-7 longi, subancipites, lævissimi. Paniculæ axillares, triplò foliis breviores, racemiformes : *Pedunculi* communes gracillimi; glabri, maximâ parte nudi et simplices, supernè tantùm pauciflori, pedunculis supremis trichotomè floriferis iisdemque puberulis : *Pedicelli* semilineam longi puberuli. Calyx brevis, 5-fidus, puberulus. Petala calyce multò longiora, l. 3 longa, spatulata, pubescentia, reflexa : præfloratio contorto-convolutiva. Tubus stamineus petalis brevior, cylindraceus, utrinquè sed densiùs introrsùm pubescens, apice 10-dentatus, dentibus antheriferis, antheris oblongis acutis. Stylus tubo brevior, glaber. Stigma stylo latius, capitato-globosum, discolor et apice 3-lobatum. Ovarium disco impositum glabro circa

ipsius basim annulatìm prominenti crenulato, conoïdeum, villosum, 3-loculare loculis apice inter se perviis, biovulatis : *Ovula* superposita, superius ascendens, inferius pendulum. Fructus.....

Obs. Species a Trichiliis genuinis distincta filamentis in tubum omninò connatis neque bifidis ut et ovulorum situ.

Hab. in Brasiliâ australi (v. s. s. herb. Mus. e Para).

TRICHILIA DIVERSIFOLIA.

T. foliis trifoliolatis vel cum impari bijugis, foliolis lanceolatis obovatisve, acutè acuminatis, glabris; paniculis brevibus, paucifloris; numero partium in flore quaternario; filamentis partìm liberis.

Arbor mediocris, inelegans, ramulis copiâ lenticellarum scabris, novellis parcè puberulis pallidioribusque, adultis glabratis fuscescentibus. Folia impari-pinnata, 2-1-juga, foliolis lanceolatis obovatisve, acutè acuminatis; terminali semipedali et ultrà, poll. 3 et ampliùs lato; lateralibus brevioribus iisdemque inæquilateris; omnibus utrinquè glabris, suprà nitidulis, subtùs nervorum prominentium anastomosi reticulatis, petiolulatis petiolulo semipollicari incrassato rugoso : *Petioli* poll. 2 circiter longi, crassi, glabri. Paniculæ axillares, gemmâ (quæ interdùm in ramulum evolvitur) interpositâ geminatæ, circiter 1-pollicares, laxè paucifloræ : *Pedunculi* vix puberuli, communes graciles; secundarii alterni, patentes, bracteolati, 3-1-flori, floribus albidis lævissimè odoratis; pedicelli brevissimi, incrassati. Calyx brevis, 4-lobus, lobis acutis, alternis brevioribus, viridulus, puberulus. Petala 4 calyce triplò longiora, patula, ovata, pube minutissimâ sparsa. Filamenta 8 petalis breviora, lata, infernè in tubum connata, cæterùm libera, introrsùm supernè lanata, apice bifida et 1-antherifera, antheris villosiusculis (in fl. observatis, abortivis). Stylus brevis, villosus. Stigma

stylo latius, sphæroïdeum, apice trilobum. Ovarium disco cum basi tubi staminei partìm coalito insidens, conoïdeum, sericeo-villosum, 3-loculare : *Ovula* superposita superius ascendens, inferius pendulum. Fructus.....

Hab. in Guadalupâ (v. s. s. herb. Richard. Clarissimus viator olìm in sylvis proclivibus ad torrentem vulgò *rivière Rouge*, Januario florentem, legerat).

TRICHILIA Trinitensis.

T. foliis pinnatis, foliolis 6-7 oppositis vel suboppositis, lanceolato-obovatis vel ovatis, brevissimè acuminatis, puberulis; paniculis brevissimis; numero partium in flore vulgò quaternario; filamentis partìm liberis.

Ramuli teretes, lenticellis orbicularibus notati, glabrati, novelli tomentosi. Folia juniora (quæ sola in specimine suppetentia supererant) pinnata, 6-7-foliolata, foliolis 3-jugis vel suboppositis; superioribus poll. 2 longis, ferè 1 latis, lanceolato-obovatis, brevissimè acuminatis; inferioribus brevioribus, ovato-acutis; omnibus secundùm nervos et margines tenuiter puberulis, membranaceis, brevissimè petiolulatis : *Petioli* 2-pollicares, tomentosi, ad basim suprà canaliculati. Paniculæ axillares (occasu foliorum quasi rameæ), brevissimæ, ab ortu ramosæ, pedicellis tomentosis, bracteolatis. Calyx brevissimus, 4-5-partitus laciniis acutis, hirsutus. Petala l. 2 longa, basi in unguem angustata, oblonga, obovata, puberula. Filamenta linearia, lanata, apice bidentata, infernè coalita in tubum ad basim disco carnoso adnatum : *Antheræ* parvæ, ovoïdeæ, pubescentes. Pistillum tubo duplo brevius, quasi abortivum. Stylus hirsutus. Ovarium disco involutum et occultatum, 3-loculare, loculis biovulatis, ovulis superpositis. Fructus.....

Hab. in ins. Trinitatis (v. s. s. herb. Richard).

MOSCHOXYLUM PSEUDOSTIPULARE.

M. foliis impari-pinnatis, bijugis, foliolis obovatis, acuminatis, glabris, inferioribus orbicularibus minimis stipulas mentientibus; paniculis axillaribus, brevissimis et paucifloris; corollâ 4-partitâ, puberulâ.

Rami teretes, novelli hirti, adulti glabrati lenticellis crebris tuberculati. Folia impari-pinnata, 2-juga; foliolis jugi inferioris minimis, cordato-orbicularibus prope basim petioli sitis et stipulas mentientibus; terminali obovato, oblongo (poll. 3-4 longo, $1\frac{1}{2}$-2 lato) obtusè acuminato; superioribus ferè duplò minoribus, ovatis, obtusè acuminatis, inæquilateris; omnibus suprà glabris et lucidis, nervis subtùs prominentibus atque hirtellis, breviter petiolulatis: *Petioli* poll. 1-2 longi, spurcè hirtelli. Pedunculi axillares, brevissimi (non semi-pollicares), 3-5-flori, subflore quolibet bracteolati bracteolisque prætereà duabus oppositis instructi. Calyx 4-fidus, puberulus. Petala sesquilineam longa, supernè reflexa, acuta, puberula. Tubus stamineus supernè pube introrsùm densiori villosus. Stylus glaber. Stigma capitatum, lobulo umbilicato apiculatum. Ovarium ovoïdeum. Fructus.....

Hab. in Brasiliâ.—(v. s. s. in herb. Mus. e provinc. Rio de Janeiro missam a Patre Leandro di Sacramento.).

MOSCHOXYLUM CIPO.

M. foliis pinnatis, foliolis 8-9 alternis, oblongis, lanceolatis, acuminatis, glaberrimis; paniculis terminalibus, longis; corollâ altè 4-fidâ, puberulâ.

Vulgò *Cipo* galibiorum.

Frutex 9-15-pedalis, dumosus, ramosus ramis erectis, lenticellarum copiâ scabris, adultis teretibus et glabratis, novellis angula-

tis et pube brevissimâ inspersis. Folia pinnata, foliolis 8-9 alternis, subsessilibus, lanceolato-acuminatis, oblongis (supremis poll. 4-6 longis, $1\frac{1}{2}$ et ampliùs latis, inferioribus gradatìm decrescentibus formæque ovatæ accedentibus), undulatis, utrinquè glabris et lucidis, pulchrè virentibus (in herbario atro-rubentibus quo colore facilè species dignoscitur), nervis subtùs prominentibus et reticulatis: *Petioli* poll. 3-6 longi, ramulorum instar pubentes vel glabrati lenticellisque discoloribus sparsi, infra foliorum insertionem canali alto suprà exarati et indè quasi alati. Paniculæ terminales et ad foliorum supremorum axillas sitæ, semipedales et ultrà, multifloræ: *Pedunculi* pube brevi pulverulenti, communes infernè nudi; secundarii alterni, erecti, dichotomè ramosi, floribus exiguis, albido-viridulis. Calyx 4-dentatus, puberulus. Petala lineam longa, ovata, concavula, puberula : præfloratio valvata. Tubus stamineus subgloboso-inflatus, glaber : *Antheræ* conniventes. Stylus tubo brevior, teres, glaber. Stigma capitatum, suprà umbilicatum. Ovarium depresso-conoïdeum, juxtà apicem 3-4-loculare. Fructus.....

Hab. in Guianâ (v. s. s. in herb. Richard qui florentem legerat in ripis fluvii Kourou Novembri et e cujus notis mss. quædam hìc excerpsi; Mus.; Gay.)

MOSCHOXYLUM Pleeanum.

M. foliis pinnatis; foliolis 7 alternis vel suboppositis, lanceolato-ovatis, acuminatis, glaberrimis; paniculis terminalibus, longis; corollâ 5-partitâ, glabrâ.

Rami teretes, glabrati, lenticellis scabri, novelli vix puberuli. Folia pinnata, foliolis 7 alternis vel suboppositis, lanceolato-ovatis, acuminatis, oblongis (supremis poll. 4-6 longis, 2 circiter latis, inferioribus gradatìm brevioribus), utrinquè glabris, suprà lucidis, subtùs reticulato-venosis, petiolulatis petiolulo transversè rugoso :

Petioli poll. 4-5 longi, glabri, suprà plano-canaliculati. PANICULÆ terminales vel subterminales, semipedales et ultrà : *Pedunculi* vix puberuli, communes graciles, non procul a basi ramosi; secundarii alterni vel superiores oppositi; tertiarii cymosim floriferi; pedicelli semilineam longi. CALYX cupulæformis subinteger vel setaceo-5-dentatus, glabriusculus. PETALA acuta, glabella. TUBUS STAMINEUS pilis albidis introrsùm pubescens : *Antheræ* conniventes. STYLUS brevis, crassus, truncato-conicus, glaber. STIGMA subtrilobum. OVARIUM depresso-globosum, ad apicem 3-loculare. FRUCTUS.....

Hab. in Brasiliâ (v. s. s. in herb. Mus. Plée in provinc. Rio-Negro legerat).

GUAREA VAHLIANA.

G. cortice ramorum griseo; foliolis 4-6-jugis, ovatis, basi acutis, apice acuminatis, glabris, lucidis; paniculis brevibus, laxifloris; ovario glabro; fructu.....

RAMI petiolique lenticellis minutis scabri, glabrati. FOLIA 4-6-juga, foliolis poll. 4-3 longis, 2-1½ latis, ovatis, basi acutis, apice acuminatis, subinæquilateris, glabris, reticulato-venosis, ad axillas nervorum secundariorum subtùs pubescentibus, petiolulatis petiolulo brevi subtùs incrassato et rugoso : *Petioli* sesqui-semi-pedales brevioresve. PANICULÆ axillares, laxæ : *Pedunculi*, communes petiolis breviores vel rariùs subæquales, multòque graciliores, puberuli : *Pedicelli* l. 2-1½ longi, articulati, bracteolati bracteolâ minimâ villosâ. CALYX cupulæformis, sub-4-dentatus, vix puberulus. PETALA l. 3 longa, lineari-elliptica, extrorsùm ad apicem supernè puberula. TUBUS STAMINEUS glaber, obsoletè 8-crenulatus. PISTILLUM lageniforme. STYLUS glaber. STIGMA latius, umbilicatum. OVARIUM disco continuo elevatum, glabrum, 4-loculare, loculis 1-ovulatis : *Ovula* reniformia, angulo interno peritropìm adnexa. FRUCTUS.....

Hab. in Antillis (v. s. s. herb. Mus. in Guadalupâ a Cl. Perrotet

lectam Junio florentem; herb. Juss. a Vahlio missam et nomine *G. glabra* inscriptam, nec a præcedente discrepantem nisi foliis alabastrisque minùs elongatis, paniculâque folium 3-jugum superante).

GUAREA Aubleti.

G. cortice ramorum petiolorumque atrorubente lævi; foliolis 6-10-jugis, oblongis, ovatis obovatisve, glabris; paniculis longis et angustis; ovario villoso; fructu pyriformi, glabro, leviusculo.

Trichilia Guarea. Aubl.

Guarea trichilioïdes. Rich. *cat. Lebl. in Act. Soc. Hist. nat.*

Vulgò *Bois-Balle* Cayennæ.

